DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE AFFECTIBUS GRAVIDARUM,

Quam,
DEO T. O. M. CLEMENTISSIME ANNUENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, DUCATUS MAGDEBURGICI VICARIO, RELIQUA,
GRATIOSO AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. EJUSDEMQUE PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. DECANI,
Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui omni Pietatis cultu ætatem devenerandi,

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in ARTE MEDICA Honoribus & Privilegiis legitimè capessendis,
IN AUDITORIO MAJORI,
Ad diem Sept. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittet

DAVID DITTMANN,
Vilnâ-Lithv.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS CHRIST. HENCKELII, ACAD. TYP.

VIRO
PRÆ-NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
AMPLISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO,
DOMINO,

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,

MED. D. EJUSDEMQUE IN CELEBERRIMA HAC FRIDERICIANA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO FAMIGERATISSIMO, GRAVISSIMO, h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptori atque Promotori ſuo omni Obſervantiæ atque Pietatis cultu æternùm ſuſpiciendo,



Felicitatem & Officia!



Vandocunq; Clementissimam in dirigendis rebus meis PATRIS COELESTIS Providentiam apud animum exactiùs reputare, TUAMque, VIR EXCELLENTISSIME, in tenuitatem meam per hocce, quô mihi Halis vivere contigit, tempus impensissimè collocatam Benevolentiam mente volvere evenit, non potui non læto semper, cum intimæ tamen Venerationis pleno animo in humillimam paternæ Ejus Misericordiæ admirationem rapi, quòd, præter infinita illa Gratiæ suæ animæ meæ præstita documenta, TE mihi Præceptorem fidelissimum, Patronumque & Promotorem studiorum meorum tam munificum concedere haud dedignatus sit. Sicuti autem divinæ Majestati me meaque cuncta conamina toto pectore trado, & Sanctissimæ Illius Voluntati juxta ac Sapientissimæ ulteriori Directioni me totum permitto, nihil magis in ardentissimis votis habens, quàm ut me miserum, constantissima Spiritûs sui gratiâ benè firmatum, instrumentum Gloriæ suæ concelebrandæ, imò promovendæ idoneum esse jubeat: ita, cùm, sic Volente DOMINO, huic loco valedicere veniat, Tuorum in me beneficiorum nequaquam immemor, ut vel levissimum quoddam gratæ atque obstrictissimæ, quam erga TE, Promotor ætatem æstumatissime, semper fovi, mentis extet monumentum, meritò sum sollicitus. Equidem perquàm optimè mihi conscius sum, vires meas fidelitati, benevolentiæ atque munificen-

tiæ in me TVÆ condignè demerendæ, per omnia prorſus eſſe impares, ne tamen ita ſine ullo Obſervantiæ & devotiſſimi in TE animi teſtimonio hôc loco pedem moveam, concede VIR EXCELLENTISSIME, ut alios videns mortales eſſe, propriæ quoque fragilitatis minimè oblitus, primam hancce, quæ ſe offert, occaſionem mei juris faciam, & in nunquam intermorituram Reverentiæ & Pietatis memoriam haſce Pagellas TIBI humillimè offeram, conſecrem. Suſcipe eas animo, qualem ego, nihil quicquam promeritus, conſtanter expertus ſum, benevolentisſimo. Suſcipe, inquam, cum iis pia vota & ardentes preces, quas, uti hactenus feci, ita & inpoſterum pro Salute & omnigena TUI, TVORUMque benedictione divinâ perennanter fundere nunquam ceſſabo. Vale interim, iterum iterumque Vale, Patrone ſingulariter Colende cum TVIS in longisſimam annorum ſeriem ſemper felix, incolumis, beatus, atque mihi in longè etiam disſitis locis ulterius fave

EXCELLENTISSIMI ET AMPLISSIMI NOMINIS TUI

quoad vixero,
devotiſſimo, deditiſſimo
DAVIDI DITTMANNO.



I. N. J. A!

PROOEMIUM.



Ulierem bis pati morbos, vetus eſt, inde ab *Hippocrate*, dicterium, nec quidem etiam, ſi cum moderatione accipiatur, contemnendum; dum utiquè & *promptiùs*, & pluribus *ſchematibus*, mulieres ægrè habere, experientiæ minimè refragatur. Interim, ſicuti ſuper irrito fundamento hujus rei cauſam collocavit Antiquitas, & inprimis decantatam illam *Uteri*, ceu alterius *Viventis in Vivente*, ſenſibilitatem & impatientiam; Ita, licèt hoc de *Utero* non ita ſe habeat, ſed planè aliarum partium ſint illi, qui arguuntur, tam *ſensûs*, quàm *motûs*: Nihil, niſi ſolo *reſpectu* ad ſcopos, ipſi *Utero* competentes, concurrente: Cùm tamen non planè de nihilo ſit, tum quòd ipſæ *fœminæ* ægritudinibus promptiùs expoſitæ ſint, tum quòd multæ harum, etiam *Uterum*, ſi non æquè directè & phyſicè, tamen *finaliter*, reſpiciant: non injuſta hinc cenſeri poteſt curioſior paſſim evolutio, quinam maximè morbi huic *Sexui*, verè præ Viris, impendeant, & quas conſiderationes partim poſtulent, partim mereantur.

tur. Quamvìs enim prolixissimis, ad Veterum morem, distinctionibus *morborum muliebrium* insistere, certè supervacuum fuerit; dum ingens illorum turba, sub *Hypochondriacæ* turbationis censu simpliciùs comprehendi meretur, neque proprias ditiones tueri valet; ita esset sine dubio meliùs fundata illa disquisitio, quamobrem propriè foeminino sexui, hæc ipsa *hypochondriaca* pathemata, tam ita fortiora, quàm multiformia, & sub diversis quasi larvis difformia, magis eveniant, quàm ipsi virili sexui? Quod si rectè declaratum fuerit, decedet non solùm benè multum de opinione tantæ *multitudinis* & realis varietatis, *muliebrium* morborum: sed comparebit insimul etiam sincerior aditus, ad *curationes* varias, ex ipso vero fundamento, quô cohærent talia affectuum *schemata*, instruendas. Interim, licèt hæc vulgata opinio de *vivo in vivente*, & inde prognascente majore *sensibilitate*, imò verò ad subeundos actuales morbos proximâ dispositione, firmo fundamento destituatur, intelligendo de *Utero* directè, simpliciter, & sine tropo: admittit tamen applicationem *tropicam*, quâ nempe non inusitatum est, Rhetoribus & Poëtis *Continens pro Contento* nominare, & *Uteri* nomine etiam ipsum, qui in illo *contineri* solet, & quasi debet, *fœtum*, designare. Quô ipso tamen sensu, quamvìs nondum verum sit, quòd mulier, nempè etiam *utero gerens*, simpliciter juxta vim vocis, *morbos bis patiatur*: cùm tamen illud satis certum sit, quòd fœmina, *utero gerens*, exposita ad minimum sit magis, pluribus & faciliori-bus morbi insultibus, quàm *vacuâ* hâc parte: imò verò non solùm sui corporis causâ, quatenus vivi & sensilis, habeat quod timeat; sed etiam *infantis* sui intuitu, ipsius etiam, ut *vivi* atque *sensilis*: imò propter hunc *com-*

muni

mani quodam respectu, *Vitæ* tam suæ, quàm ipsius infantis: meretur propterea hæc res considerationem utiq; non superficialem, tum ratione veritatis facti ipsius, quousquè illud verè atque rectè sese habeat: tum ratione specialium circumstantiarum atque casuum, quibus maximè modis hæc constitutio, nempe quomodo fœmina, *propter infantem* in utero ejus hærentem, & vitæ ejus intuitu, variis sanitatis periclitationibus exposita vivat. Cùm autem mihi incumbat solenne, quod vocant, INAUGURALE SPECIMEN studiorum meorum proferre, atque publicè tueri, placuit hanc ipsam partem Medicæ Pathologiæ atque Therapiæ pro Themate assumere, nempe DE GRAVIDARUM AFFECTIBUS, earumque tàm causis, quàm remediis, agere.

Largiatur DEUS T. O. M., ut hoc negotium salubris propagationis generis humani rectè observandæ, & à periculis atque damnis vindicandæ, pro rei dignitate decenter declarandi optato scopo rectè potiamur!

Th. I.

DE *GRAVIDARUM AFFECTIBUS* dum agere aggredimur, subit mentem consideratio, neque frivola, aut inani speculabundâ curiositate subnixa, nec usûs, quem habet, exigui, sed ad totum verum fundamentum *solidæ Pathologiæ*, *solitæ* verò inanis *speculationis*, de morborum causis, confusionem, pertinens. Nempe, cùm, auctore, aut ad minimum falso teste, jam ipso *Hippocrate*, œconomia corporis humani *viventis*, arguatur, morbis adeò exposita, imò obnoxia esse, ut inde totum corpus, *totus*, inquam, *homo*, juxtà nudam in terminis loquendi formulam, *morbidus*, imò *morbus*, appellari mereretur: adeoque huic ita præfigura-

tæ

tæ conſtitutioni, non ſolum quælibet *obviæ*, imò paſſim *frivolæ*, ſed etiam, quia dicterium illud omnes homines onerat, omnibus etiam *communes*, imò *communiſſimæ*, ægrotandi cauſæ hinc imputentur & aſsignentur: Interim, ſi animus rectè atque decenter advertatur, nequaquam verum hoc deprehendatur, quòd omnis homo, *omnes*, inquam, *& ſinguli homines*, ad morbos, inprimis *quoslibet*, ita temerè & facillimè ſubeundum; exquiſitè, &, quod ajunt, *in proxima potentia*, diſpoſiti exiſtant: ante omnia verò illis morbis, ad quos quàm maximè *proximè diſpoſiti* videri poſſent, minimè omnium ipſo actu ita facilè corripiantur, ſed diu multũq; vivere poſſint ab illis ſecuri, intacti, ſani atque integri: Ex hâc re propterea certe tria maximè colligere, atque de illis diſpicere convenit. 1) Quòd, & quomodò, *materialis* diſpoſitio corporis, quantumlibet *fragiliſſima* & corruptioni utique promptiſſimè obſequens, nihilo ſeciùs ad ipſum *actum* corruptionis, minimè tam promptè perveniat: 2) Quænam maximè circumſtantia & conditio, œconomiæ corporis *viventis*, verè magis *intrinſeca*, præcipuam culpam ſubire poſſit atque ſoleat, labefactationis ſanitatis ac integritatis ejusdem, tanquam domeſtico diſſidio. 3) Quanta hîc ſit energia *adventitiarum* demum, externarum cauſarum, œconomiam corporis humani perturbantium: 4) Quanam maximè ratione hoc faciant, non ſolùm præſentiſſimè, ſed etiam potentiſſimè: in quam, inquam, *partem* aut *actionem* corporis præcipuè agant, & per hanc confundant totam œconomiam.

II.

Sanè verò, præbet huic conſiderationi generaliori occaſionem, etiam noſtri Thematis, muliebris ſexûs in ſtatu *Graviditatis*, peculiaris planè, ſecundùm hunc reſpectum, pariter evidens, conſtitutio: quâ videlicet affectûs *Gravidarum*, rectè ſecundùm veritatem æſtimando, etiam ipſi ſunt aliquid MINUS FREQVENS: minimè, inqvam, omnibus atque ſingulis gravidis ita promptè obtingens, nedum familiare, uti quidem uſitata Scholis Medicis opinio inferre videtur: ſed ita reverà oppidò

pidò RARUM, ut vix centesima quæque, imò non errarem, si multò plures numerarem, è quibus vix una gravida, affectibus illis peculiaribus corripiatur & exerceatur. Ut enim taceam Gentes, ab animi æquè, atque corporis mollitie alieniores, sed simplici s. n. vivendi rationi magis acqviescentes, tam *Africæ*, quàm *Americæ* incolas, imò *Hyperboreorum Scytharum Nomadum*: Certè, uti inter medias *corruptorum morum* nationes, (*cultos* vocant, in hôc certè passu ipsius juventutis corruptores, sub verborum lenocinio, res & animos pervertentes,) quibus quàm minimum favet occasio corruptelis his indulgendi, longè maximus numerus *rusticarum*, & moderatiorum *plebejarum* fœminarum, quotquot *frugalitati* & *laboribus* addictæ sunt, ab illis etiam affectibus, de quibus sermonem capessimus, magis immunes sunt: Occurrunt etiam satis numerosa exempla talium fœminarum *gravidarum*, quæ vel coactæ *ferre, quod mutari non potest*, nihil fallacem distinctionem suppeditant, quid *verorum*, quid *fictorum* & *affectatorum* affectuum, *gravidis, quà talibus*, verè impendeat ac incumbat. De fœminis loquor ex oppidana æquè, atque rustica plebe, quæ ab infantiâ laboribus & famulitio præstando adsvetæ, tandem *castra sequi* suscipiunt: Utpote quæ magno numero passim documenta præbent, *quid fœmina possit*? Tam *adsveta*, quàm passim *necessitate* adacta, ad leviter tolerandum, quod alia, commoditatibus *animo* maximè inhærens ac invigilans, *non posse*, verisimile reddit.

III.

Nempè ex hac circumstantia dilucescit illud utique, quòd non tam *absolutè* & simpliciter *gravida* fœmina, è *corporearum* circumstantiarum rationibus, ad *ægrotandum* verè aptior atque pronior existat; sed magis à peculiaribus *individualibus*, & inprimis *moralibus*, causis, dependeat illa *teneriorum* atque *delicatiorum* gravidarum, *sollicitarum* inprimis atque *meticulosarum*, aut etiam simpliciùs nimis *desidum*, veluti *promptitudo* talis eximia, qualis deinde passim observatur. Unde meritò, primô omnium

locô, illud collocamus, quòd *Affectûs Gravidarum* morbidi, generaliùs, sint res *non* valdè *frequens*; sed multæ gravidæ, imò *longè plurimæ*, à veris sanitatis detrimentis immunes vivant: Specialiùs autem *teneriores* demum, corpore & animo *sensibiliores*, aut *segniores* atque *desides*, & simul *intemperantiores*, affectibus talibus p.n. expositæ demum vivant.

IV.

Quod autem *Affectûs* ipsos, eorumque veram indolem, concernit, qui *gravidis* maximè evenire solent, sunt illi occupati partim circa *Ventriculum*; partim *hypochondria*; partim circa *Uterum* ipsum. Obtingunt etiam diversimodè, secundùm *temporis* rationes; dum alii magis solùm *per initia*, alii *in progressu*, alii denique *sub exitum* gestationis, quàm maximè sese produnt.

V.

Est ex his, tam *loco* quasi suprema, quàm *tempore* quoque inter alias prima, *ventriculi* perversio, imò ipsius *appetitûs*. *Fastidium*, inquam, imò insignis *nausea, carnium*: quin mox etiam *vomitus* post assumptos quoscunque cibos, inprimis tamen, si non æquè ipsas *carnes*, tamen decocto seu *jure carnium* quomodocunque imbutos; aut etiam paulò largiùs simul ingestos. Solet autem hoc genus pathematis gravidis inprimis evenire *primis quatuor aut sex septimanis*: Rarissimis autem exemplis etiam *valdè diu*, nedum per totum gestationis tempus continuari, quale quid in juvencula quâdam, vinosioris inprimis diætæ, meminimus, quæ per *totum* graviditatis *tempus*, vehementer vomebat, sed tamen aliquantò *tardiùs* post assumptos cibos, adeoque non ita copiosâ excretione, sed pluribus solùm *vacuis*, anxiis tamen & fortibus, conatibus.

VI.

Deinde, *constat* aliis gravidis appetitus tanquam ordinarius; aliis *augescit* eximiè: aliæ vel perpetuâ, vel multiplici *Malaciâ*, & fastidioso ciborum selectu, conspicuæ sunt: Aliis

is accidit planè *Pica*, seu ingens desiderium rerum, vel toto genere alieniorum, vel *temporis*, aut civilibus etiam, rationibus, difficulter impetrandarum.

VII.

Obtingit etiam aliquibus talibus aliud incommodum à ciborum assumptione, ut plenitudinem seu *oppletionem* peculiarem molestam inde experiantur; temporis demum successu, nempe horarum unius vel alterius spatio, demum rursus evanescentem. Evenit autem hoc quàm maximè *ultimis* gestationis mensibus, quando admodum *grandior* uterus, simpliciter quasi angustias insignes infert, adeoque ventriculi distensionem difficultatibus premit. Imò verò, evenit etiam sic satis familiariter, ut *sensibilior* gravidis obtingat ventriculi constitutio, ad cibos crudioris, *flatulentæ*, nimium *fermentescentis*, aut *concoctu difficilis*, conditionis: ita, ut iisdem fœminis, quæ vacuæ, intemperantioris edacitatis circà minùs congrua edulia nullum effatu dignum incommodum sentire solent, si idem gravidæ quoque audeant, nequaquam par obtingat impunitas. Cæterùm, quæ & quantitate & qualitate ciborum temperantiùs utuntur, illis per hæc tempora jam provectioris gestationis, rariùs eveniunt ulla talia incommoda.

IIX.

Alvi *successus* deficit aliquando gravidis, admodum rariùs tamen *directè* graviditatis ipsâ culpâ; incumbente nempe graviùs *uteri sarcinâ* in ipsum intestinum rectum. Longè familiariùs autem siccior ipsis evenit alvus è mala consvetudine justò *parcioris potûs*: aut nimiæ *desidiæ*, quin reliquæ, etiam extra statum imprægnationis, *adsvetæ* tarditatis hujus excretionis. Objicit autem illis non pauca aut levissima incommoda, si vel ab assumptorum vitiosa constitutione, vel à longiore mala *consvetudine* & *atoniâ vaga* intestinorum, sive externis aliis causis, improvidarum maximè *refrigerationum*, *flatulentia* ipsis eveniat, & cum hâc alvi segnitie concurrat.

IX.

Quando autem illa primi generis, ab *Uteri* ipsius incumbentis pressione dependens, alvi obstipatio, gravidas obsidet, tunc experiuntur communiter simul etiam alterum non leve incommodum *tenesmodis* irritationis intestini recti, ad excretionem omnimodò expediendam. Huic incommodo junguntur non adeo raro etiam inflationes vesiculares vasorum *hæmorrhoidalium*, quas vulgò Mast-Körner & Zacken appellant: tum aliâ molestiâ, tum *ardoribus*, imò interdum *ulcerosa* erosione, patientibus molestissimas, & inposterum etiam incommodas consecutiones, machinantes.

X.

Proxima ab his incommodis, est *anhelitûs* major difficultas; rariùs aliter, quàm vel post *cibos* largiùs sumptos, vel *motûs* corporis liberaliores, sese exerens: adeoque vix unquam quasi *continua*, sed communiùs solùm *transitoria*. Dependet autem partim à jam dicta illa *coarctatione*, quam ingens plenitudo, posteriore tempore gestationis, abdomini & præcordiis objicit: partim etiam à modò notata accidentali *flatulenta* angustiarum intensione: partim, inprimis illa, quæ à *motu* increbescit, à sangvinis *plenitudine*, inprimis in fœminis, quæ sub ipso gestationis tempore, & peculiari tunc temporis *edacitate*, etiam corporis habitu *augescere* observantur. Aliquibus tamen, inprimis *staturâ breviore* aut teneriore conspicuis, concitat hanc anhelitûs difficultatem etiam ipsum *pondus* uterinæ sarcinæ, abdomen ita deorsum trahens, adeoque respiratorio motui velut antisacoma aliquod objiciens.

XI.

Superest in abdomine peculiaris, neque certè levis, molestia, quæ gravidas non adeò raro corripit, circa *Urinæ emissionem*; ut incommodissimum *sæpe* mittendæ Urinæ conatum, imò vel planè *stimulum*, experiantur. Evenit ipsis hoc incommodum *ultimis* quàm maximè gestationis septimanis. Aliquibus tamen etiam vel circà *medium* tempus; quando videlicet ipsis uterus plus deorsum incumbit, minùs vividâ

con-

contentione tum ſuperiorum ejus ligamentorum, tum ipſius abdominis, circà *Epi-* & *Hypogaſtricam* regionem.

XII.

Per *externum* corporis *habitum*, obtingunt gravidis quibusdam tanquam ſenſibiliores *extenuationes*, ut *macilentiores* fieri appareant; imò etiam viribus *langvidiores*: Aliæ verò hôc ipſo tempore *habitiores* fieri videantur, imò verò pingveſcere. Ex his obſervantur priores, ſi de reliquo nusquam malè ipſis ſit, infantes *auctiores* edere; alteræ verò illæ, minores atque *graciliores*: nempè, ubi infanti potiùs debita abundantior alimonia, otiosè in ſuperfluum materni corporis augmentum impenditur, infanti autem ita nimis parcè ſuppeditatur.

XIII.

Porrò, eveniunt gravidis, inprimis tamen illis, quæ etiam extra hunc ſtatum *maculis* illis fuſcis, quales cum pruriginibus acrioribus conjunctas *Lichenes* vocant, vulgus Germanorum Leber-Flecke / obſideri conſveverunt, ſimiles etiam mali coloris maculæ in facie, & collo: inprimis autem circa ipſam frontem. Aliis autem *pallores*; aliis inſoliti *rubores*, quibusdam conſtantiores, aliquibus volatici, ferè tamen utraque hæc cum aliis *internis* incommodioribus ſenſationibus conſpirantia.

XIV.

Aliquibus obtingunt vaſorum *venoſorum* in alterutro inprimis *crure*, inflationes ſtabiles *varicoſæ*, ſeu *nodoſæ*, & *criſpæ*: imò ipſius non rarò ejus cruris præ altero velut augmentum aliquod, nempe inſignior *inflatio* ſubtumida: aliquibus etiam actu *tumida*, nempe cum *duritie* quoque, ſtagnationis intenſioris teſte. Aliquibus, inprimis temperie corporis *phlegmatica* dicta, magis conſpicuis, evenit tumor etiam actualis *oedematoſus*, citra viſibiles illas vaſorum inflationes. Aliquibus cum illo vaſorum infarctu eveniunt etiam *Ecchymomata*, *ſugillationum* inſtar, braun und blaue Flecke umb ſolches Geäder herum: vulgus Germanorum appellat crura gravidarum ita af-

fecta, quòd cum fœtûs gestatione eveniant, ein Kinds-Bein: & solet hæc mala dispositio, depositô uteri onere, iterum evanescere; quoties autem iterum impraegnantur, iterum etiam pristino more se exerere, quàmvis aliquando etiam post ea tempora, & vacuo iterum utero, incommoda sensim inde percipiant fœminæ: imò etiam sub ipso tempore gestationis, ab hujusmodi constitutione dolores varios etiam exquisitos, tam urentes quasi, quàm lancinantes atque spasticos, experiantur. Eveniunt hæc quàm maximè, à *medio* gestationis *tempore* ad ultimum, nempe ipsum usque partum: nempe pariter à fœtûs uterum graviùs in alterutrum latus pelvis, mole suâ *inclinantis*, & vas Iliacum seu Crurale ibidem prementis, pondere.

XV.

Aliquibus dolet etiam vehementer *Coxarum* & *Lumborum* regio *postremo* maximè gestationis tempore; à ventre acriùs antrorsum atque deorsum propendente. Aliis dolet ipse *venter* exterior; unà cum nitidâ non solùm, sed striis etiam transversis distinctâ rubedine: non aliter, ac si abdomen *fissuras* agere minaretur: pariter ab ingente mole uteri, præter mensuram staturæ individui gravidi, nimiùm expansi.

XVI.

Præter hæc autem eminentiora pathemata, cùm quædam etiam adhuc occurrant, haud multò minoribus molestiis atque pejoribus consequentiis insistentia, quàm ipsa hæc, & quidem etiam mox inde à primo, conceptionis magis, quàm gestationis, tempore, est aliquid etiam de illis omninò dicendum. Obtingunt nempe ita aliquibus ingravidatis, inprimis autem in plena diæta viventibus, tum etiam constitutione corporis plethorica adfectis, ut, cùm supra nominatis illis internis promptis, imò sæpenumerò spontaneis, *angustiis*, *Capitis Dolores* eveniant plus minùs vehementes, vel *Artuum Lassitudo* opletiva seu *gravativa* valdè sensibilis. Imò illis, quæ etiam alioquin *rhevmatico-arthritoideis* pathematibus tentari cœperunt, obtingunt aliquando tantæ in his partibus atque locis *Atoniæ*, imò potiùs *intensiones tonicæ spasticæ*, *rigidæ*, ut inde

para-

paralytodea aliquando damna metuantur. Sicut etiam familiarissima ante dictæ *plethoricæ* hujusmodi constitutioni, inpr. *delicatioris* atque *otiosioris* adsvetudinis, tanquam undique familiarissima, est, mox, imò propemodum magis, ab ipso primo gestationis tempore pedum talis summa *Gravitas*, ut *plumbeos* veluti esse familiari loquendi formulâ conquerantur. Causa facilè agnoscitur *oppletiva* illa *tensio*, emanentibus jam *mensibus*: manente verò tantisper *appetitu*, & jam etiam ab antecedente tempore perceptâ *plethorâ*: quæ maximè, quantò magis insignis est, eò extantiora etiam sentiuntur hæc ipsa incommoda.

XVII.

Antequam autem ultra progrediamur, tanquã è medio loco tam ad *initia*, quàm *finem* respectantes atque prospectantes, faciemus etiam verba de illis Affectionibus, quæ gravidis etiam magis absolutè, quà talibus, evenire soleant, quibus illæ tanquam simpliciter à *non gravidis* veluti distingui possint. Nempe & multa, & aliquando etiam peculiaris momenti & quasi ponderis, est quæstio, de *signis Graviditatis*: tàm in favorabili respectu *honestarum*, in conjugio viventium, fœminarum, quàm in odiosiore, *suspectarum, solutarum*. Ne prolixitate rem magis implicemus, quàm explicemus, nec tamen etiam brevitate obscuri simus, dicemus paucissima verba, sed facilia omninò intellectu, asseverando, quòd simplicis atque nudæ imprægnationis signa legitima, sint utique satis evidentia atque certa: Illius autem, quæ cum aliis incommodis sivè jam prægressis, sivè etiam concurrentibus, *complicatur*, nusquam simpliciter certa & infallibilia dentur signa: inprimis, si fœmina, quæ in quæstionem venit, malitiosè *dissimulare*, & ad quæstiones ipsi necessariò proponendas, *fallacem* responsionem reddere, in animum induxerit: quô casu nulla Certitudo, sed nuda probabilitas major aut minor, locum habet, si fœmina satis callidè dissimulare intelligat: Cui rei etiam aliquando per nimiùm apertas atque *directas quæstiones* occasio præberi potest: unde prudenter agendum.

XVIII.

Rectè *ſana* fœmina, ab omni *mollitie* aliena, ſed *robuſtioris* potiùs ſeu firmioris *indolis*, *mobili* ad tolerantiam vitæ rationi vacans, poteſt omninò etiam *prægnans* fieri, & aliquamdiu concepiſſe, citra ullum aliud ſignum aut conſectarium, niſi *menſtruæ evacuationis* emanentis. Siquidem circumſtantia illa *carnium* nauſeæ, nequaquam ita *univerſalis* exiſtit, ut illam ubilibet certò requirere, aut ſuper ipſius abſentiam, tanquam fundamentum firmius, aliquid circà hanc quæſtionem decernere, integrum eſſet. Quamvìs autem etiam *Emanſio Menſium* ſimpliciſſima, cum nulla alia *dyſphoriâ* concurrens, non contemnendum locum inter *ſigna* habere poſſit; non tuetur tamen hunc locum ſimpliciter *abſolutè*, dum etiam aliunde, & morbidâ omninò ratione, ſupprimi poſſunt menſes, citra præſentiſſimam aliquam dyſphoriam. Unde tantò major eſt dubitationis circà hanc rem occaſio, ſi etiam verè gravida fœmina, emanentibus etiam tunc legitimè Menſibus, unà plura incommoda perſentiſcit, à *plethorica* conſtitutione, & vitâ inſuper nimis *deſide*, vel etiam contra *inordinatis* & præpoſteris, repentinis & *intemperantibus* corporis motibus. Quandoquidem tales affectûs, qui tunc emanſionem Menſium ſtipant, reverà non gravidis ſimpliciter, ſed *emanſioni menſium* generaliùs, reſpondentes, totam rem in impeditum conjiciunt.

XIX.

Proximum locum, inter reliquas etiam circumſtantias fideliùs elucidatas, occupat *Nauſea* illa inſignis *Carnium*, & inprimis quidem ipſius etiam *nidoris* earundem adhuc fervidarum. Cui plurimum auctoritatis adhuc fœneratur illud, ſi fœmina ita *nauſeoſa*, reliquis corporis viribus ſibi ita ſatis conſtare ſentiatur, nequè pro proportione aliter, inprimis circà *ventriculum* atque *primas vias* deteriùs habere: imò planè, alios cibos, & ſatis commodè, cum appetitu nihil eximiè languente, aſſumere, & aſſumptos etiam cum nullâ, aut effatu nihil æquè digna, moleſtiâ tolerare.

XX.

Enimverò, si hæ circumstantiæ in dictis exquisitioribus terminis conspirent, minus jam est propemodum dubii; minimè tamen certa res & simpliciter *indubia*. *Tertia* autem in ordine, & cum præcedentibus jam multam dignitatem pro suffragio formando obtinens, est *Ventris* fœminæ, in hanc quæstionem adductæ, *Intumescentia* quidem quàm maximè *globosa*, non inæqualis, & inprimis per umbilici regionem non *complanata*, sed tanquam *summitatem* totius hemisphærii ibi efformans: *Durities* autem propemodum *æqualis*, licèt versus *Ilia* aliquantò magis remissa, inprimis si *flatûs* absint: dum alii *morbidi tumores* ventris, diversam convexitatis rationem formare consveverunt. Certè, quando hæc *tumoris ventris* constitutio hanc *dimensionem*, etiam *augescendo*, *constanter* & *æqualiter* servat, & prosequitur, & incrementa etiam quàm maximè *placida* atque *successiva* capessit, *pedibus* insuper à tumore *oedematoso* liberis, nedum reliqua sensibili *euphoriâ* conspirante, crescit ex harum rerum consensu dignitas testimonii. Quandoquidem illud nimiò rariùs est, ut verus *morbidus* tumor, directè ab *abdomine* incipiat, & non à *pedibus* potiùs: ubi etiam, si vel maximè quæstio instituatur concurrente jam etiam crurum tumore, locum sibi omninò vendicat observatio *proportionis*: quæ, si in ipsis quoque cruribus *ingentem* tumorem offert, in impedito reverà est judicium, cùm tale quid etiam ipsis *gravidis* quidem aliquando eveniat, sed nullô non solùm, verùm etiam in se *alieno* à justæ ingravidationis indole, argumento.

XXI.

Hæc ita per *priores*, *quinque* circiter, Menses: quando verò *vigesima septimana* præteriit, tunc ipsis quidem fœminis, circa imprægnationis sui veritatem curiosis aut sollicitis, vix potest deesse luculentius testimonium, quando utique sensum *Motûs foetûs* in utero percipiunt. Qui, quamvìs interdum satis *obscurus* existat, non potest tamen fœminas, qualiscunque discretionis compotes, planè subterfugere: antè

C omnia,

omnia, si ipsis etiam suppeditentur ab aliis discrimina hujus Motûs, à quibuslibet *borborygmis* & *flatulentis* susurris aut volutationibus in ipsis intestinis. Sicut etiam locus *Motûs foetûs* altiùs sub *hypogastrio*, à *flatulentis* cursationibus plurimùm differt. Quæ verò, dissimulandæ gestationis ergò, etiam hujusmodi sensationem pernegant, & reliqua quoque signa confusa offerunt, illis præter suspicionem circumspectam nihil certiùs potest imputari. Aliena certè manus, nisi simpliciter sors fortuita quasi cœptum secundet, non potest hîc rem certiùs deprehendere; quòd enim aliquando, maximè quàm rectissimè constitutis omnibus circumstantiis, sanâ, vegetâ, & alacri, matre æquè atque prole, jam benè *calida* manus, *tepido* solùm ventri, jam *frigida* exquisitiùs, *calenti* admota, infantis motum aliquando post sese trahat, id non est adeo perpetuum, ut inde certus par effectus semper expectari possit: aut ita ex defectu ejus, ad negandam præsentiam fœtûs colligi. Quando autem omninò occasio obtingit, motûs illos tunc, quando maximè fiunt, deprehendendi, tunc potest utique *perita* manus de re præsente veriorem sensum percipere, &, an talis motus fœtui verè tribuendus sit, distingvere.

XXII.

Suspectas personas expedit omninò quoquo modo eò adigere; ut honestæ & peritæ fœminæ ocularis inspectio ventris earum obtingat; dum aliàs tam subligaculis atque stricturis, quàm incessu etiam magis affectato, occulere hoc augmentum non magis laborant, quàm passim etiam satis habiles existunt. Tumor *Ventris*, sine *pedum* tumore, *euphoria* reliqua qualiscunque, *appetitus* etiam, inprimis in progressu non pœnitendus, sicut per initia alienior & *nauseosus*, præbent ad minimum optimè fundatas *suspiciones*, pro personis quoquo modo *dubiis*, satis studiosè observandis atque commonendis.

XXIII.

De *Urina* meretur omninò aliquid dici. Cùm abusus

Uro-

Uromantiæ adeò ſit notorius, ut etiam honeſtiùs haberi mereatur, ubi morum dominium non obſtat, illam univerſam rude donare, ita eſt certè etiam judicium ex Urina circà hoc præſens negotium fallaciſſimum, inprimis ſi juxtà triviales traditiones inſtituatur. Illud, quod ego Præſes aliquoties verum deprehendi, eſt, quòd, *ſanæ* de reliquo, fœminæ prægnantis Urina, adeoque & ipſa de reliquo *colore* & *limpidâ* claritate ſano ſtatui reſpondens, ſi claro loco ſcitè verſus ſubobſcurum locum aut angulum ſpectetur, eandem per ſui limpiditatem faciem exhibeat, qualis per radios Solis, in obſcurius conclave incidentes, ſubtiliſſimi pulveris internatantis viſitur, & vulgò appellatione der Sonnen-Stäublein notatur. Hanc conſtitutionem in Urinâ *ſanarum gravidarum*, *ſana* atque *limpida*, multoties conſpexi. Licèt autem gravidarum Urina omninò ſit talis; habeo tamen affatim exemplorum, quòd non *reciprocè*, quælibet urina hoc phænomenon offerens, etiam certò ſit gravidarum, ſed etiam aliunde *Menſium obſtructione* laborantium. Poſſem quidem differentiam illam allegare, quòd hæc quaſi ſubtiliſſimè *pulverulenta* apparitio, in *verè gravidarum* Urina, viſa mihi ſit multò *ſubtilior*; in alterâ verò, ſimpliciore *Menſium ſuppreſpreſſione* adfectarum, *craſſior*: Sed cùm in talibus rebus judicium ex oculari inſpectione, pro ingeniorum varietate mirè variet, nec etiam ex hâc circumſtantia aliquid *certi* hinc colligere liceat, nolim cuiquam aliquid ſpeculandi auctor eſſe. Ego aſpernor talia.

XXIV.

Præſtat itaque circà dijudicationem impregnationis, ſano ad ſenſum reliquo corpore, inprimis inſiſtere *Menſium* habitui, ad ipſam hanc conſtitutionem reliquæ ſanitatis, & *tumoris abdominis* proportioni, tam in ſe exactiùs *globoſæ*, quàm iterum in reſpectu ad reliquam etiam *ſanitatem*, aut ſimul etiam ad concurrentem unà *pedum* tumorem: tandem etiam *appetitûs* aut *nauſeæ* rationi, tum ad *diverſos* cibos, tum ad diverſum *tempus* & *æqualitatem* magis continuam, aut

plurimùm variantem. Maximè omnium autem *motui fœtûs* post medium gestationis tempus, ubi ejus quomodocunque sinceriora & confessa, aut convicta assequi licet indicia. Alias, quas variæ antiquæ traditiones narrant; probationes v.g. per *Suffumigia Gummatum* secundùm illas fabulas, dum utero applicantur, ad gustum pervenientium; sicuti etiam capiti imponendas ejusmodi Species, & observandas hinc peculiares mutationes in gravida: partim merè *fabulosa* sunt, partim, in varia subjectorum *sensibilitate*, ita *incerta*, ut absurdum esset vel affirmativè, ubi se ita exererent; vel negativè, ubi deessent, ullum judicium ipsis superstruere. Verbo: & *peritiâ* hîc opus, & insuper *prudentiâ*, tam ad comparandum, quàm audaciùs decernendum.

XXV.

Ut autem etiam ad illos affectûs progrediamur, qui jam ampliùs ipsi *Utero* gravidarum, propius negotium facessunt, sunt tales antè omnia peculiaris veluti Sensibilitas, ad minimum secundùm communem loquendi modulum, intuitu *menstrualis sangvinis*, sive potiùs evacuationis ejusdem; dum fœminæ gravidæ, admodum *plethoricæ* constitutionis, & aliàs etiam evacuationes has liberaliùs experiri solitæ, primis quàm maximè impraegnationis mensibus, tanquam impatientiore hujus sarcinæ utero, & ad elisionem ejus valdè prompto, *Abortui* valdè expositæ observantur. Unde reverà ad *Abortum*, è tacitis quasi, aut sanè *levissimis*, conspicuis causis, non promptiores sunt fœminæ, talis nempe constitutionis occasione, nisi *primis* tribus aut quatuor mensibus.

XXVI.

Planè peculiaris autem est mala fortuna illarum, quæ semel *abortum*, & maximè hujusmodi adhuc parùm maturum, expertæ, posthac, & inprimis proximè, iterum concipiunt: siquidem tales, communissimis exemplis, denuò admittendo abortui, mirum quàm facilè expositæ, imò modò non destinatæ observantur: & maximè quidem circà illud ipsum tempus, quô antecedentem abortum perpessæ fuerunt:

runt: illas ipsas, inquam, gestationis septimanas: sicut ejus rei exemplum, in Illustrissima Patiente observatum, etiam *Pathologiæ* suæ inseruit D. D. Præses, quinquies deinceps, *duodecima* semper septimana, denuò facti abortûs.

XXVII.

Ceterùm adeò certè hæc constitutio *nimiæ plethoræ* periculosa est, inprimis *animi* etiam sensibilioris, fœminis, ut, nisi ipsis, vel repetitis, ventilationibus succurratur, non solùm aliis variis incommodis sanitatis suæ expositæ vivant, sed etiam *abortui*, vel jam grandioris fœtûs, ob leviores etiam occasiones ulteriores, tantò magis obnoxiæ evadant. Sicut autem *plethora* tanquam magis *directè*, non tam alio tempore, quàm *primis* maximè Mensibus, *Abortûs* periculum inducit: ita introducit hoc idem etiam *quôlibet* tempore vehemens maximè *Terror*: tum etiam *Iracundia*; sed hæc etiam postrema, inprimis non certiùs aut citiùs, quàm sub concurrente inprimis *plethorâ*. *Terror* autem etiam omninò citrà illam, certè tamen etiam tantò faciliùs cum illâ.

XXVIII.

Quamlibet autem rariùs, evenit tamen omninò etiam, ut gravidis *plethoricis*, & alioquin mensium fluxum *largiùs* experiri assuetis, *sangvis ex utero* fluat, *duplici* indecente modo. Uno quidem, dum *mensium* more per priores adhuc gestationis menses procedere pergit; unde etiam non rarissimè calculum mulierum falsò institui contingit, ut dum illum simpliciter à mensium *emansione* ordiuntur, non autem ad *motum fœtûs* in utero attendunt, pauciores justò menses gestationis deinde numerent. Altera verò intempestiva hujusmodi eruptio sangvinis contingit jam post aliquot menses, imò post medium gestationis tempus, licèt rarioribus casibus. Sicut ejusmodi exemplum mihi Præsidi non ita dudum oblatum est in honestâ fœminâ, quæ à medio tempore gestationis usque ad partum, largissimo, & inprimis propemodum continuo, sangvinis ejusmodi profluvio affecta, nihilominus & attigit justum partûs tempus, & feliciter enixa est.

 XXIX. Ha-

XXIX.

Habent interim *utræque* omninò illud periculi, nimiò magis autem tales, quæ non solùm *tardiùs*, ſed etiam nullo *ſtato* tempore, fluxum ſangvinis ex utero, ſub geſtationis tempore, experiuntur, ut *abortûs* periculo propiores ſint: aut etiam à *medicationibus*, *adſtrictioni* ſimpliciùs dicatis, nec illud periculum effugiant, & interim aliis adhuc nihilo minoribus ſanitatis ſuæ turbationibus, etiam ultrà partûs tempora ſe protendentibus, ita ſubjiciantur: niſi nempè à *ventilationibus* ſangvinis aliis & initium factum ſit, & factô hôc etiam reliquum negotii, quàm minimo *adſtringentium* interventu, abſolvatur.

XXX.

Altera, incommoda tamen magis, quàm verè νοσηρὸς, uteri moleſtia, quam à geſtando fœtu perſentiſcit, eſt *Dolor* interdum temporarius, imò verò breviſſimi ambitûs, ipſi eveniens à *calcitratione* fœtûs. Hoc autem ſicuti non evenit, niſi *poſtremis* ad ſummum duobus Menſibus: ita non alio nomine etiam ejus mentio fieri meretur, niſi illô maximè unô, quòd reverà ab hoc ipſo etiam incommodo, non timenda ſit gravioris periculi facilis conſecutio, minimum omnium autem *Abortus*; & hoc ad *Practicam* conſiderationem; ad *Theoriam* autem ad illuſtrationem, pro ſequiorum morum præfigurationibus, quaſi fœtus ipſe ad *partum* ſui niſibus fortioribus calcitratoriis concurrat (non ſolùm parturientium, & quàm maximè diſcretarum, unanimi confeſſione, hîc in Negativam conſentiente; ſed etiam inter eos, qui in Praxi vivunt, & *difficillimè*, atque *tardè* parientibus adſiſtunt, ſatis gnaris, quàm familiariter, inter reliquos partûs dolores, ſed moventes ſolùm, non promoventes, neceſſaria ſit quæſtio illa, an infantis *motum* adhuc percipiant? & quàm rarum atque debilem familiariter hunc percipiant: ut de *Abortibus*, ante tempora *motûs fœtûs*, nihil dicamus); cùm non ita rariſſima ſint ejusmodi exempla *Calcitrationis*, de quâ loquimur, fœtuum eousque importunæ, ut matribus etiam *Lipothymiæ* impendeant,

ant, citra ullum tamen *Abortûs* ſubſecuti exemplum: Familiariſſima verò adeò ſenſibilis hujusmodi *Calcitrationis* ferocia, ut matribus non ſolùm anxiam querelam, ſed paſſim tenerioribus etiam *lacrymas*, excutiat.

XXXI.

Aliud autem, & certè minimè bonum, Accidens, quod gravidis *aliquando* evenit, eſt in locum Menſium ſubſiſtentium ſuccedens *Fluor albus*. Sicut autem non ſine ſolida cauſa vocem, *aliquando*, adjecimus: ita valet certè, pro adhuc ſtrictiore explicatione hujus limitationis, hoc adjicere, quòd hæc res reverà longè quàm rariſsimè obtingat. Et quidem minimè omnium tangat fœminas reliquâ bonâ ſanitate conſpicuas; deinde, quarum mariti & continentiores, & maximè omnium fideles ſunt: longè propiùs autem, quæ non ſolùm hôc tempore cum aliis, hoc malo adfectis, familiariùs vivunt; ſed etiam certisſimè omnium tales, quæ etiam extrà ſtatum imprægnationis, hujusmodi incommodo affectæ jam ſunt.

XXXII.

Quamvìs autem neque *menſtrui* ſangvinis, nec omninò ipſius etiam *Fluoris albi* fontem unicum, conſtituámus ſimpliciter ſtrictè ſic dictum *Uterum*; ſed partim quidem ipſi, partim autem ipſius intimioris vaginæ uterinæ tam vaſculoſæ, quàm glanduloſæ ſubſtantiæ, hos ipſos exitûs facilè concedamus: Quia tamen & hæ quoque partes, latiori complexui *Uteri* meritò accenſentur: & inſuper talis ἀκρίβεια acceptionis, in noſtro maximè negotio, ne minimum uſum habet: propterea nihil dubitamus, hæc etiam Gravidarum Accidentia ad *Uterum*, latiore ſenſu, ita referre. Imoverò eôdem etiam nomine referimus ad *uterum* ipſum Negotium *Partûs*. Non utique eâ opinione, quaſi negotium excluſionis fœtûs *extruſioni* Uteri *avtomaticæ*, ad exemplar vulgaris machinæ aſſatoriæ, wie ein Bratenwender/der ſich nicht überſpannen läſt/ imputemus, aut formulas illas noſtras faciamus *Uterus* mole, pondere, calcitratione fœtûs, *irritatur*, Uterus

con-

contrahit se, Uterus *exprimit* ac elidit contentum fœtum: utpote quos *motûs* & quas *pressiones* elisorias & ab alio *Movente* perpetrari, & alias etiam suscipiendi hujus Actûs causas agnoscere, quàm vel nimiam *distensionem*, vel nimiam *onerationem*, vel quamcunque aliam gestationis *molestiam*, vel denique fœtûs *calcitrantis* molestias &c. tamen, cùm utique pariendi negotium non solùm propriè *contentum* ejus temporis *uterinum* concernat; sed etiam utique *Uteri strictùrâ* absolvi debeat, referimus meritò hoc ipsum etiam ad *Uterum*. Quô itaque intuitu etiam aliqua non tam de ipso *partu*, quàm quæ ad ipsum respiciunt, imò strictissimè, legitimam ejus indolem non seqvuntur, ut præsente loco digna, proferemus.

XXXIII.

Equidem sentimus omninò ita etiam ex animi nostri sententiâ potiùs, quàm ut solùm aliis assentiamur, quòd superfluæ speculationes in Medica maximè Praxi, ac ad *Artis exercitium*, nullum, aut minimum, *usum* habentes, minimè minutim excutere, & tanquam nodum in scirpo quærere, consultum haberi debeat. Interim cùm illud, quod reverà valdè raro fit, nequaquam simpliciter cum eo, quod quotidiè fit, confundi, absolutè indifferens haberi, aut simpliciter paribus causis adsignari, salvâ sanâ ratione verè possit, aut ab illo, bonô jure, simpliciter pares effectûs expectari, ut ab ordinaria, nisi peculiares circumstantiæ declinationem inferant, constante usitatâ methodô: non certè injuriâ hinc hæ etiam *pariendi* diversitates peculiares, planè extra omnem considerationem facti ipsius seponendæ nobis videntur: Quamvis causarum *proximarum* scrutinium, ne subinde in inanes, aut sterilissimas certè speculationes, fiat prolapsus, omittere passim, omninò consultiùs ducamus.

XXXIV.

Sicut enim *duæ* maximè sunt series circumstantiarum, quæ veram considerationem & æstimationem *Partûs*, à falsa & imaginaria, secludunt, una *negativarum*, altera *positivarum*: Ita non frustrà erit utramque breviter commemorare.

NON

NON efficiunt, aut ullo modo, tanquam simpliciùs atque directiùs, provocant Partum, neque 1) *Infarctus* atque *Distensio Uteri*, tanquam in se & simpliciter; exemplo *Molarum* variæ magnitudinis, quæ uterum ad excussionem nihil usquam dignum effatu sollicitant. 2) Neque Magnitudo *insignis*, *& ingens* distensio Uteri; exemplo non solùm p. n., tum similium *Molarum*, stupendæ aliquando molis, solarum; aut unà *cum fœtù* gestatarum; aut magna quantitas *serosæ* colluviei, cum fœtu unà gestata, & in partu prorumpens; tum s. n. unius infantis præ altero notabilis *magnitudo*, & iterum ex adverso aliorum etiam *exiguitas* solito major, legitimum Partûs tempus nihil propterea differens: quin etiam *Geminorum*, imò *Trigeminorum*, non alia, quàm communis usitati temporis ambitu circumscripta Nativitas. 3) Neque *Calcitratio* fœtûs; cùm etiam sæpè, velut intoleranda talis, non solùm partum non perficiat, aut verum sensum dolorum ad partum ullo modo æmuletur; sed etiam sub genuino ipso partu ordinariè minimè omnium sentiatur: 4) nec ullus etiam alius verè *activus Connisus* ipsius fœtûs, ut partum vel primariò *provocaret*, vel plurimùm & eximiè *promoveret*: cùm non solùm *Abortûs* conceptuum, ante tempus *motûs*, adeoque *nisûs* eorundem, præcipuè talis, qualis pro legitimo reputaretur, passim in lucem edantur; sed etiam omni vivido motu destitutæ ante dictæ *molæ*, quin etiam *fœtûs mortui*, variæ ætatis atque magnitudinis.

XXXV.

Secundæ Classis positivæ Partûs circumstantiæ sunt ante omnia, solennissima *Mensura temporis, quadraginta Septimanarum*, à quarum *medio, viginti* septimanis, ipse maximè *Motus Embryonis* sese exerere incipit. Deinde *specialissimum* tempus, seriò expectandi hujusmodi conatûs & actûs; illud nempè, quô aliàs fœminæ illi gravidæ *menstrua* evacuatio, secundùm *Lunæ phasin*, evenire constantiùs consvevit: & hæc s. n. At etiam p. n., matris insignes *terrores*, aut enormes *iracundæ* animi exasperationes, sine ullo exquisito respectu ad

qualemcunque habitum ipsius *fœtûs*, *magnus* aut *parvus*, *maturus* partui, aut *immaturus*, ille existat. Ubi etiam adhuc, ad *negativas* etiam circumstantias, referri potest habitus fœtûs aliquando *debilioris*, qui sub tali sui constitutione minimè apparet promovere posse sui exclusionem: id quod tamen non ita rarissimè fieri, in causa, inquam, etiam *præmaturæ exclusionis* esse aliquando etiam *debilitatem* fœtûs, notorium est: nisi quòd in hoc ipso quoque genere familiariùs expectari soleat ipse omninò eventus *mortis* fœtûs ita debilis, & tunc demum *mortui* excussio institui; Sicut etiam huc omninò trahenda est, jam paulò superiùs à nobis laudata illa, *stati temporis reversio Abortûs*, inprimis valdè adhuc *junioris*, secundùm tempus semel, maximè verò iterum, factæ excussionis similis.

XXXVI.

Quæstio propemodum, ut habet usitata loquendi formula, quolibet sensu *vexata*: de *vero Termino Partûs humani*, licèt prolixitatem nobis ullam imperare non debeat, quia tamen utique ad præsentem locum pertinet, absolvemus illam, quantum fieri potest, brevissimè. Equidem Juris inprimis incerti conatûs, præcipuè propter possessiones à veris hæredibus non abalienandas, potiùs, quàm opificum manuariorum præpostera Privilegia, & Consistorialium Constitutionum respectûs, videntur utique necessitatem aliquam ejusmodi Decisionis, bono jure, flagitare: sed malâ propemodum fortunâ illam expectant à Medicorum choro, hodierno dico, è solis propemodum opinionum dissidiis veluti primariam suam gloriam quærente, & laudem judicii, sive potiùs speculationum liberarum, in ipsa judicandi licentiâ ponente. Poterit autem puto consultiùs odium malè formatarum illationum atq; conclusionum, quod ferè etiam Causidici Responsis Medicis hinc inde, non sine speciosis probationibus, conciliant, evitari, si solùm ipsa *fundamenta* judicandi vera atque solida in medium producantur, & cujuslibet dexteritati deinde collectio sive Conclusio ipsa relinquatur.

XXXVII.

Sunt autem hæ circumstantiæ maximè sequentes: I. *Universalis*,

ſalis, per *millenarios* numeranda, & abundè nota, adeoque contrariis caſibus, tanquam *peculiaribus* obſervationibus, non niſi ut *ſingulariſſimis*, opponenda, una ſola conſtantiſſima Experientia, eſt, quòd fœminis gravidis, nullis, & maximè propemodum gravioribus, p. n. incommodis, jam vexatis, partus *legitimus*, & hinc etiam omnibus modis *felicior*, actu, & puerperii ſucceſſu, eveniat *quadrageſimæ ſeptimanæ* ambitu. II. Hæc ipſa, toti ſexui fœminino communis, & non niſi paucis, in comparatione, caſibus ſubjectorum, vel *plethorâ*, vel *diæta* minùs rectè conſtitutorum, nedum apertioribus *p. n. accidentibus* affectorum, alicubi varians, Experientia teſtatur, quòd, etiam *dimidio* hujus temporis ſpatio, nempe *vigeſima Septimanâ motus fœtûs* in utero ſe exerere ſoleat; Unde etiam, ſi de *initio* impraegnationis dubium aliquod occurrat, confidentiſſimè à primis *ſenſationibus* diſcretis hiſce *motus fœtus* in utero computus inſtituitur ad reſiduum temporis geſtandi, à peritis maximè harum rerum mulieribus, cum minimo fallaciæ periculo. III. Eadem Experientia teſtatur, quòd fœtus (reverà ſatis *rarioribus* exemplis, etiam adhuc inter generaliorem raritatem totius facti,) *ſeptimo* Menſe in lucem editus, viſibiliter differat, non ſolùm reliquâ ſpectabili *teneritudine*, ſed aliquarum etiam partium, v. gr. *unguium* manifeſta propemodum imperfectione. IV. Ut in omnibus rebus nudi *facti*, quarum ſinceras *rationes* aſſequi non datur, tantò firmiùs inſiſtendum eſt ipſi Veritati facti, & inde maximo jure ſubſumendum, quòd, quicquid univerſaliter non aliter *fit*, illud etiam verè probabiliter aliter fieri *poſſe* minimè ſtatui debeat: & alienisſima prorſus ibi eſt talis velut argumentatio: *non intelligo, quid obſtare poſſit*, Ergò *reipſa nihil obſtare poteſt*, quin talis res non ſolùm ita, ut ordinariè fit, ſed etiam variis modis aliter, fieri poſſit. Ita certè, ſecundùm hanc talem conſiderationem, firmiſſimum utique eſt, &, citatâ jam illa univerſali Experientiâ notiſſimum, quòd *ſanarum mulierum* partus, *octavo* Menſe, ita ſit *rariſſimus*, ut, donec prorſus indubia exem-

 pla

pla proferantur, nemo usquam bono jure adſtringi poſſit, ut credat, in præſente aliquo ſubjecto talem eveniſſe. Ubi nempe iterum, ejusdem dignitatis cum ante dicto irrito argumento *à priori*, eſt illud alterum *à poſteriori*, nempe *rationes*, quas *antiqui* adduxerunt, quamobrem partus octimeſtris vix aut nunquam fiat vitalis, vividus, vegetus, breviter: ſanus & legitimus, non videntur ullum *demonſtrativum*, &, cui tanquam luculento ſubſcribere neceſſe ſit, *fundamentum* habere. Ergò, quia ipſi *rationem* malè aſſeqvuntur, *factum ipſum non poteſt eſſe verum.* V. Ubi verò ipſa utique accidentia externa, ſive *ſanitatem* corporis labefactantia in matre aut fœtu, ſive *motûs* ipſos in corpore gravisſimè perturbantia, concurrerint, tunc demum *p. n.* evenire poſſe, nullum eſt dubium; pleroſque etiam, qui eveniunt hujusmodi casûs, ita maximè evenire, credibile eſt. Unde certè VI. *ſanâ* matre, & exquiſitè integro atque plenè *ſano*, & numeris ſuis abſoluto *fœtu*, *inſignes mutationes temporis Partûs*, anticipando contingere, ex omnibus allegatis *univerſalis conſtantisſimæ Experientiæ*, imò verò *indolis humanæ*, conditionibus, ita parùm probabile eſt, ut, ſi quæſtio aliqua controverſa certitudinem urgeat, minimè injuſtum ſit, priùs concurrentes quascunque circumſtantias exquiſitè excutere.

XXXIIX.

Facimus progreſſum ulteriorem, ad alium adhuc eventum, gravidis fœminis ſatis familiariter obvenientem, qui, licèt neque ipſum *corpus*, aut *uterum* gravidæ concernat, tamen *in utero* ejus evenit, & aliqua utique ipſius concurrentis velut energiâ nititur. Loqui aggredimur de NÆVIS MATERNIS; vitiis, inquam, *corporis* & *animi*, quæ infantibus, adhuc *in utero* materno detentis, eveniunt à *Matris* gravidæ *imaginatione* falsâ, & ſimpliciter *æſtimatoriâ*. De harum quidem, uti vulgò vocantur, *Impreſſionum* proximo *fiendi modo* verba prolixè facere, nec inſtituti noſtri eſt, neque *Medicæ* etiam propriè conſiderationis: qui autem, ut *Philoſophi*, illam expendere, aut potiùs ſtatim explicare, conantur,

optan-

optandum certè eſt, ut ſint *Philoſophi*; ſi nullam aliam ob rem, tamen propterea, ut verè *diſtingvere* meminerint inter *Actiones mentis* ſimplices, ſive *rationis ratiocinantis* ſimpliciter: & viciſſim *phyſicos* quoscunque contactûs aut *actûs*, ne ipſos etiam *ſenſorios*, *quà tales*, excludendo. Et applicent deinde illa ad præſens negotium; ubi non *viſus* cujuscunque rei, non *tactus*, non *actualis læſio*, non *doloris* ſenſus *quà talis*, non *detrimentum* corpori actu incuſſum, non *fames* ſimpliciter, non *ingurgitatio* ſimpliciter, quicquam in infantem, ut vulgò loquuntur, *imprimunt*: ſed unicè *mentis fictio*: aliquando etiam *abſoluta*, rei, quæ neque corporaliter *exiſtit*, ſed ipſa quoque *fingitur*, nempe illo tempore: aliquando etiam *reſpectiva*, *de re* quidem verè exiſtente, imò præſente; ſed vel falsò, vel in caſſum & absque ullo uſu aut effectu cum *affectu* peculiari *æſtimatâ*, aliter, quàm vel eſt, vel meretur. Illud autem, quod magis ad *corporalem* fiendi ſucceſſum pertinet, complectitur *duas* præcipuas circumſtantias. *Primò*, quòd *corporalium* inſignium *Nævorum* efformatio, longè ſæpiſſimè involvat, non ſolùm poſthac conſpiciendæ perverſæ *texturæ*, peculiarem illam, *de puncto ad punctum* complicationem *ſtructoriam*; ſed etiam *priſtinæ*, quæ illo tempore jam certò præſtò & penitus formata *fuit*, etiam præcedentem *reſolutionem*: ut nempe ita demum in aliud ſchema transformari poſſit. *Secundò* peculiare planè illud tempus, quod quàm maximè hanc modò commendatam conſiderationem propriè infert, & neceſſariam reddit. Eſt autem *Tempus*, inquam, inducendis *Nævis* maternis quàm maximè idoneum, illud, quod à *medio* geſtationis tempore ad ipſum partum procedit: adeò, ut etiam minimè ſummè rara ſint exempla, etiam non ita multis *diebus* ante partum ſecutum, demum coortorum hujusmodi conformationis vitiorum: Quæ nempè res univerſa non tam confirmat, quàm infert potiùs directè, imò ingerit omninò id, quod modò diximus, & animadvertere monuimus, quòd in negotio *Nævorum*, non minùs reſpicienda veniat operoſa & ſollicita *diſſolutio* jam factæ prioris juſtæ,

quàm *transmutatio*, nempe translatio in *novam* configurationem. Eſt autem etiam conſideratione minimè indigna, quamlibèt ad penitiorem cauſarum inveſtigationem ſpecialiſſimam pariter certè inſufficiens, circumſtantia illa *Nævorum* maternorum, i. e. alienæ texturæ ſolidæ nova iterum, adeoque *repetita diſſolutio*, & in *meliorem* atque convenientem *iterata* coordinatio, quæ in magis ſuperficialibus, quamvìs prolixis etiam, *nævis*, v. gr. *macularum ab Ignis, aut ſangvinis repentino terrore*, Blut-und Feuer-Mahl; quin etiam aliquantò minorum protuberantium, *fructibus horæis*, *muri*, *cancro, ranæ*, &c. aſſimilatorum: Qualium, inquam, *Diſſolutio*, etiam ſimpliciter per applicationem recentis *ſangvinis lochialis* paſſim iterùm obtinetur, tum de ipſa propria Matre, ſtatim poſt ipſum partum: tum etiam de alienis Puerperis; modò præcipuè ſubjectum, nævo tali affectum, adhuc ſit ætate teneriore, aut ad ſummum à pubertate adhuc longiùs diſtans: quamvìs neque hæc adhuc periodus, in ſubjectis maximè *ſenſibilioris* indolis, non ita abſolutè omnem ſpem excludat, quin etiam illo adhuc tempore talis effectus, aut ſi mavis eventus, locum habere poſſit. Quæ certè *ſtruendi*, & iterum *deſtruendi*, viciſſitudines, & aliter denuò *conformandi* energia, prudentem penſitationem meretur.

XXXIX.

Cùm autem tam de *legitimi partûs* Tempore, quàm de *Abortu*, quod ſatis eſſe poſſit, dixerimus, ſupereſt, ut pauca adhuc adjiciamus de *Habitu ad Abortum*, adeoque non *interpellandum* ſolùm legitimum geſtationis tempus; verùm etiam *actum* illum vegetum, imò violentum quaſi *conniſum eliſorium*, ita extra omne tempus, ſuſcipiendum. Notandus hîc iterum utique eſt generalis ille habitus totius *Sexûs*, fœminarum, inquam, *ſanarum* & *vegetarum*, comparatus erga individuales *accidentales* depravationes *indolis delicatæ*, & *animi* maximè perturbationibus multiplicibus obnoxiæ. Secundùm priorem illam, confirmat generalis experientia, quòd fœmina *ſana* atque *valida*, multum profectò etiam tolerare poſſit, citra

citra hujusmodi periculosum gestationis suæ eventum, imò verum detrimentum. Ubi quidem sufficere poterit tum *rusticas* & *mercenarias*, tum *militares* & *mendicantes* patriâ pulsas, tanquam immenso numero, testium loco nominare: quamvìs etiam ne *lautioris* conditionis multarum fœminarum, *sanarum* & *æquioris animi* exempla desint, quæ etiam varias molestias & vexationes, modò *animus* non graviter percellatur, sine gestationis damno ferunt.

XL.

Ubi iterum iterumque summo jure attendenda venit omninò hæc ipsa ita allegata circumstantia verissima, quòd sæpissimè insignes etiam *corporeæ* perturbationes, *gravidis* tamen vix quicquam periculi facessant; variæ, inquam, *ægritudines*, inprimis *chronicæ*, quamlibet etiam cum *concussionibus* corporis, imò in specie *abdominis*, vehementibus conjunctæ: adeò, ut etiam *vomitûs* vehementes non solùm *spontanei*, sed & ipsa aliquando *arte* inauspicatâ provocati, *hypercatharses*, imò (annotante etiam Celeberrimo *Wedelio*) *Dysenteriæ*, sine graviore totius gestationis damno, passim satis commodè decedant. Semper autem utique tantò magis, si nimia illa commotio non tam simpliciter à *medicamenti* violentiâ ortum ducat, quàm â spontaneo magis *Naturæ* individui *obsequio*, *saburrâ* aliqua insigni actu prægravatæ: quibus casibus, nec *incrementi* justi fœtus, nec *gestationis* etiam usque ad justum terminum *successus*, & usque ad decentem terminum *constantia*, insigne ita detrimentum capit.

XLI.

Quæ verò admodum *sensibiles* existunt, his afferunt positivum damnum; conjiciunt, inquam, in eventum *abortûs* etiam singula talia; *Vomitiones* vehementes, seu potiùs *Conatûs* vomendi *enormes*; *dejiciendi torminosi*, *spastici*, *tenesmodes* conatûs: Unde etiam *clysteres* stimulantes aliquando damno occasionem præbent: *Fluxus* autem *alvini*, *longi*, & *lienteriodes*, possunt etiam, *nutrimentum* debitum fœtui sub-

trahendo, hujus *vivacitati*, & ita *per indirectum*, *retentioni* ejus, nocere.

XLII.

Ubi nempè, licèt meritò primum respectum habeamus ad affectûs, fœminam magis *directè* contingentes, & per ipsam *fœtui* præjudicium machinantes; Est tamen etiam utique consideranda, *reciproca* illa habitudo *foetûs ad Matrem* gestantem. Ubi nempe *fœtûs* in ipso Utero mala dispositio, præbet utique occasionem malis successibus ipsius gestationis, maximè verò ipsi *abortui*. Quando, inquam, vel valdè *debilis* est fœtus, quo casu etiam leviores alià s futuræ ad provocandum *abortum* reliquæ occasiones, multum ponderis asseqvuntur: Si verò planè *emori* fœtum contingat, tunc utique non solùm ut res t. g. p. n. retineri non debet; sed etiam, ut *cadaver*, *putredini* obnoxium, retineri ne quidem ampliùs potest.

XLIII.

Sicut autem hujusmodi hucusque enarratæ gravidarum variæ periclitationes, *corpore* & *animo*, antè omnia tamen *animo*, *sensibilioribus* maximè, eveniunt: ita mentio meritò facienda venit, *duarum* adhuc circumstantiarum, quarum altera directè & simpliciter magis ad *animum* respicit, altera ad minimum verosimiliter, à *tacitâ* illa *notitia*, *sensu*, seu discreta *perceptione* ἀφαντάςῳ, pendere, agnosci potest. *Prior* illa est, quòd fœminæ aliquando observentur, (qualia exempla ipse Respondens annotavi) sub gestatione, inprimis autem *posterioribus* Mensibus, præter reliquam suam usitatam indolem aliæ *impatientiores*, aliæ ad *terrorem*, *metum*, *mœrorem* promptiores fieri: quarum rerum etiam *morales* causæ, *speculabundæ* magis magisque *pensitationis*, & *æstimationis* qualiumcunque molestiarum aut periclitationum, satis plausibiles colligi possunt. *Alterum* autem est, quod non ita paucis fœminis evenire notatur, ut nempè, si aliquot proles ejusdem sexûs deinceps gestaverint; quantumlibet etiam non ita brevissimis intervallis, si deinde *diversi sexûs* prolem concipiant, mul-

multis modis incommodiùs, aut ad minimum ſenſibiliùs aliter, quàm à prioribus alterius ſexûs prolibus, habere ſentiantur.

XLIV.

Supereſt, ut brevioribus verbis attingamus traditionem illam uſitatam de *Signis diverſi Sexûs*, qualis eo tempore geſtetur? De his quidquam *certioris* ſtatui poſſe, reverà fruſtrà aſſereretur. *Floridior* enim *color* ſub *maſculi*, *pallidior* ſub *fœmellæ*, geſtatione; *alacrior* etiam animus illic, hîc *torpidior*, in prægnante, adeò *æquivoca* ſunt, ut, niſi totus genius gravidæ exquiſitiſſimè notus, fortuitæ etiam domeſticæ, familiares, atque conjugales circumſtantiæ, quin ipſius prægnantis verus animi habitus ad amorem prolis, & gloriam quaſi fœcunditatis, perſpectiſſimus ſit: præthereà *accidentalium diætæticarum* variationum rationes ſatis notæ habeantur: manifeſtum ſit, non poſſe hîc quidquam reliquum ſaltim veroſimilius, nedum firmius, ad ipſum fœtum referri. Quamvìs enim hoc, quod in ipſo præcedente §. indicavimus, de inſolitis quibusdam accidentibus, ſub alterius ſexûs geſtatione poſt plures diverſi prægreſſos partûs, huc quadantenus reſpectare videatur; quoniam tamen non ſolùm ſimpliciter *univerſale* non eſt, ſed etiam diſpar utique foret ratio, à qualicunque alia ſenſatione ipſius fœminæ, ad *ſigna* etiam *externo adſpectui*, & inprimis in fœmina, nihil ſenſibiliter alteratâ, obvia: patet hinc ſatis inſufficientia talis etiam hujus qualiscunque argumenti. Tantò magis, cùm citata illa aliter habendi variatio & nominatim moleſtiæ ſenſibiles, tam puero, poſt multas puellas tranquilliùs geſtatas, ſuperveniant: quàm puellæ, poſt multos pueros, etiam inquietiùs geſtatos, quietior toleratio: & viciſſim.

XLV.

Planè autem reverà peculiaris utique transſumptionis eſt illud effatum, quod à Venatore originem ſumſiſſe notum eſt, de *Diverſo Situ fœtûs ſecundùm ſexum, in alterutro latere Uteri*. Quamlibet enim hoc in animantibus *multiparis, bicornem* ute-

rum habentibus, & pronum insuper situm corporis, non planè de nihilo sit; ut Ipse Dn. D. Præses, in cane gravidâ, cultro anatomico subjectâ, quinque fœtûs complexâ, binos in singulis cornibus, & unum in communi alveo uteri, ante aliquot annos, Philiatris adsistentibus, in *dextro* cornu & ipso utero tres *mares*, in *sinistro* cornu duas *fœmellas*, conspeximus: Ita est tamen longè utique dispar ratio humani, præsertim unici, fœtûs: qui non solùm *æqualiter* ab utero arctè *inclusus* est, sed etiam naturali situ, capite utique orificio hujus insistens, reliquo proinde corpore conglobato, nec in utero, arctè amplectente, ullam diversam *inclinationem* habere potest; neque uteri universi certam & specificam *inclinationem* ad unum latus abdominis, ullo probabili modo causari. Unde, si maximè illud de *brutis multiparis*, etiam constans & indubium esset, nihil aliud innuere posset, nisi quòd è *dextro teste* seu ovario fœminino *masculini*; è *sinistro fœminini* fœtûs expectandi essent: Nihil interim in μονοτόκῳ homine, & utero ejus fœtum arctè complexo, variante posthac fœtûs ipsius situ. Possent autem, qui ita curiosi esse amant, & ad tales res otium sufficiens possident, illi etiam præjudiciali quæstioni commodiùs satisfacere, si v. gr. canibus fœmellis, alterutrum testem dextrè exsecarent, & sanatum iterum animal, quales posthac fœtûs edat, & quàm constanter *unius* tantùm *sexûs*, pluribus experimentis annotarent. Aliàs autem audimus narrantes fœminas, quòd, si cui prægnanti *macula constans* valdè *rubicunda*, imò aliquando insigni incremento, ad *inflammatoriam* & *abscessoriam* alterationem, sed segniùs tamen, progrediens, efflorescat, illa pro indicio *masculini* fœtûs, in utero præsentis, haberi mereatur. Sed ut diximus, nihil horum est, cui insistere liceat, ut *certo*: minimè omnium autem, ut *perpetuo*. Adeò, ut etiam illa notabilis diversitas accidentium, sub aliqua gestatione, post grægressas alias paris semper sexûs, pro signo nunc concepti alterius sexûs *verosimili* quidem haberi possit, minimè verò *indubio*.

XLVI. Ejus-

XLVI.

Ejusdem etiam censûs est, signum illud *Gemellorum*, ut in medio abdominis, quasi per longitudinem lineæ albæ dictæ, color ita mutetur, ut *fusca linea* appareat: aut, *planior* per medium, *venter* ad latera utrinque magis protuberare videatur. Quamvìs enim utrumque *aliquando* contingere certum sit, neque tamen *semper* hoc fit, nec etiam, postremum inprimis, in sola *Gemellorum* gestatione, verùm etiam à *concrementis* aliis, aut *aquosi humoris* copia, unà cum conceptu, innidulante.

XLVII.

Inducit nos hujus ultimæ rei mentio, ut verba aliqua proferamus de MOLA. Quamvìs enim hujus gestatio non propriè pertineat ad nostrum argumentum, nempe verè *Gravidarum* affectûs; quia tamen etiam, aliquando *cum fœtu* ipso, adhuc concrementum tale gestari contingit, breviter hanc quoque rem tractabimus. Dicitur nempe *Mola, concrementum irregulare membranaceum & fibrosum*, rariùs tamen *carnosas* fibras repræsentans, cujus *cavitates* qualescunque communiter *nigro sangvineo spissamento* suffartæ deprehenduntur. Quæ non cum fœtu, sed *solæ* gestantur, *junioribus* fœminis communiùs faciliùs decedunt, ut ad summum ultrà *annuum* spatium non multùm durent: *annosioribus* jam autem inhærent non rarò multò diutiùs, adeò, ut vel commoriantur, postquam *duos, tres* annos, quin *ampliùs*, illas obsederunt: Sicut variorum talium exemplorum indicem suppeditare potest *Moronus*. Sicut etiam idem indicabit exempla *vivarum*, *monstrosarum*, imò *maleficarum* talium quasi *molarum*, quæ *fœtum* etiam directè *enecare* censeantur, *rostro* & *ungvibus* conspicuæ, & quales illis locis familiares fœminis gravidis, *Fratres Lombardorum* appellari sveverint. Quomodò verò fiant, & unde ortum suum ducant, est quæstio tantò majoris momenti, quoniam non leve quasi præjudicium fovere videtur, nempe pro illis, quæ *extra Conjugium* molas excludere aliquando observantur. Cùm enim aliqui

decernant, non posse *molam sine cohabitatione virili* generari, incumbit certè his tantò majus inde præjudicium. Cùm autem Recentiores tueantur, quòd etiam *lascivientibus* solùm, citra Viri congressum, *ovula* decedere possint; eodem jure videtur statui posse, quòd etiam aliquando aliquod tale obhærescere posset, & ita incrementum capere; præcipuè, cùm etiam *nutritio* illa, quæ ipsi *Molæ* contingit, non possit assignari principio cuicunque, ut vulgò loquuntur, *plastico, regulari*, atque vero, à *Viri* congressu quomodocunque arcessendo. Interim, cùm utique tota quæstio de *Activitate formatrice*, etiam ad ipsum *regularem* fœtûs efformationem, sit res nullâ Theoreticâ luce usquam radians; quam tantò magis confundit energia *imaginationis* maternæ, nisi secundùm planè peculiarem æstimationem intelligatur: Non dubitamus asseverare, quòd in toto hoc negotio nihil *verè demonstrativi* decerni possit. Illud autem pro certissimo habemus, quòd concrementa talia, ut ejus rei multa exempla novi Præses, originem familiarissimè ducere soleant, à *prægresso abortu*, & quàm maximè quidem plurimùm adhuc *immaturo*, atque inde non exquisitè atque penitissimè expurgatis *secundinis*, sed *retentis* qualibuscunque illarum laciniis. Sicut talium rerum specimina, tam, inquam, magnæ, quàm parvæ hujusmodi concretionis, allegata sunt in *Pathologiâ*. Momentum totius rei in eo versatur, quòd, cùm secundinæ *vivant vitam fœtûs*, adeoque etiam *vegetentur* seu *nutriantur* ab eodem principio, non autem materno; quòd *hîc* nihilominùs *nutritio* & *auctio*, nedum *vitalis conservatio*, *laciniis* hujusmodi evenire possit. Nam pro Uteri ipsius aliqua *excrescentia fungosa Molas* tales habere, vetat conditio illa, quòd tandem tamen adhuc ab Utero *decedentes*, exclusioni obsequantur; *decedentes*, inquam, non *abscedentes*: quod certè fieri non posset, si veriorem aliquam *continuitatem* cùm utero haberent, ut *excrescentiæ fungosæ* omninò faciunt. Interim certè hoc argumentum etiam favere posset possibilitati, quòd ovulum, sicut, ex hypothesi, *sine Viro* per uterum *deduci* compos, etiam

etiam aliquando hoc *vegetationis* modô foveatur, citra activitatem qualemcunque *plasticam*, à cohabitatione Viri deducendam: cùm utique etiam formatio *Molæ*, à vera & *legitimâ vi plasticâ* nequaquam, sed prorsus ab *æquivocâ*, deduci possit.

XLIIX.

Illud, quod de his rebus dici possit ad nostrum institutum, est, quòd *cum fœtu* conceptæ *Molæ*, & *fœtui* periculosam reddant *mansionem*, & ambiguam *nutritionem*: & *matri* communiter plurimas *perturbationes*, *angustias*, *anxietates*, *heteroclitos fluxûs* uterinos, & præsentius periculum intempestivi partûs seu *abortûs*, & tempestivi *partûs* varia periculosa *symptomata* & consectaria, machinentur.

XLIX.

Ultimô locô mentionem injicimus Accidentis certè oppidò rari, SUPERFOETATIONIS. Sicubi hoc evenit, rariùs contingit, quin etiam utrique fœtui, tam, inquam, jam grandiori, quàm superinducto recentiori, communis *Abortûs* periculum hinc impendeat, sed valdè *tranquillis* successibus, ille ad justum partûs tempus pertingat. Certò autem impendet *recentiori* conceptui, cum maturo etiam alterius partu, immaturus ita exitus, seu abortus. Rarissimis autem omnium exemplis, *recentioris* etiam, post editum grandiorem, *retentio*, & ad justum usque tempus gestatio, adeoque *vitalis* quoque *partus*. Verisimiliùs verò est, loco veræ *Superfœtationis*, formari ita illa, minimè pariter uti hæc, valdè rara, concrementa illa *molarum*, quæ *cum* legitimis *fœtibus* tandem in lucem prodeant. Non possumus autem hoc loco, quin leviter taxemus Practicam illam admonitionem, quæ speciminis loco esse potest subsumptionum irregularium: *à posse ad esse*, præter clinicam conspirantem efficaciam. Invenias nempe, qui de Generationis negotio tractant, *cohabitationem*, sub tempore *impraegnationis*, etiam hoc argumento prohibere, quia inde metuenda sit *Superfœtatio*, & ab hâc ulteriores difficultates. Hîc, quamvìs de reliquo monitum illud

non improbandum sit ex aliis respectibus; præterea etiam certissimum planè sit, quòd omninò utique *Superfœtatio* non aliunde, nisi à *cohabitatione* tali ortum suum trahat: deficit tamen argumentum in eo, quòd rem reverà inter *numerosos* fœminarum *millenarios* vix aliquando inveniendam, tanquam *facilem* & *passim obviam*, conceptui ita præfiguret: Imò insuper, sub tam certa hujus ipsius causæ, nempe incontinentiæ conjugum etiam hoc ipso tempore, vulgatissima frequentia.

L.

Arbitramur satis absolvisse enumerationem *Affectuum*, *Gravidis* accidere solitorum; proximum est, ut breviter aliquid dicamus de *Causis* eorum. Breviter, inquam; quoniam & *pauciores* sunt, & pleræque *generaliores*: aliquæ verò etiam minimùm in *Artis potestate*, neque *præservativè*, neque *curativè*. Prima harum, & primaria *corporearum*, est insignis *Abundantia sangvinis*; &, hujus deinde intuitu, paratior turbida inclinatio ad *menstruam exonerationem* affectandam: Unde *congestiones* atque *stagnationes* illæ symbolicæ, *hypochondriacæ*, & velut è longinquo ad *cruentos Vomitûs* respectantes, quamvìs *effectus* ipse ejus in Gravidis sit res omninò longè rarissima. Aliquantò verò propinquiùs fit utique hujusmodi inclinatio ad *hæmorrhoidales* eruptiones; quæ, licèt etiam ipsæ æquè frequentes non existant gravidis, non sunt tamen etiam ita *valdè* raræ: inter tales, inquam, quæ sensibiliora hujusmodi pathemata verè *hypochondriaca* his temporibus experiuntur, contumaciora, & diu insistentia. *Secunda*, & energiæ certè dignitate modò dictæ longè adhuc præponenda, est *animi pathematum* Intemperantia; utpote quæ etiam priori illi in actum, seu potiùs ad gravissimos effectûs, deducendam, præpotens existat. *Tertia*, sed longè jam mitior, imò debilior, est reliquæ *Diætæ* minùs considerans Observatio, tam in *assumendis*, quàm *Motibus* & *Quiete* decenter ordinandis: quin etiam in reliquis *Excretionibus* debitis non rectè procedentibus. *Quartum* locum occupant *fortuita*,

exter-

externa, violenta: lapsûs, graves offensiones, contusiones, &c. *Quintum* autem locum tenent etiam alii *Morbi*, aliunde gravidis oblati.

LI.

Minimè verò veremur profiteri, quòd etiam *methodum* Gravidarum Affectibus efficaciter subveniendi, in nullâ aliâ re certiore ponamus, quàm in harum maximè *generaliorum* causarum *præoccupationibus*; Deinde verò in talibus *paucis* remediis, quæ non tam uni aut alteri hujusmodi affectuum, sed *plerisque*, imò ante omnia *præcipuis*, satisfaciendo, hoc ipso judicari possunt tanquam *appropriatam* energiam, ad *Uteri* ipsius œconomiam, possidere. Secundùm has intentiones, laudamus omnibus modis, & maximè seriò, pro junioribus, ut status *plethoricus* prudente *ventilatione* corrigatur. Tantò magis, si reliquæ circumstantiæ permittant, planè *antè, quàm* concipiant. Imo verò, pro hábitu plenitudinis, non formidandam censemus etiam *repetitam* sangvinis missionem. Ubi nihil obstat dehortatio *Hippocratica*, cùm illa de venæsectione illorum temporum loquatur, nempe *abundantissimâ*.

LII.

Administrationem hanc *Venæ Sectionis*, tam rationem *temporis*, quàm *loci*, & *mensuræ*, exactiorem requirere, non ita malè, velut unanimi consensu, judicatur. Quamlibet enim *Hippocratis*, & plerorumque antiquiorum ejus interpretum, monitum, quô *Venæ sectionem Gravidis* periculosam adstruunt, uti modò dictum est, unicè fundetur super *mensurâ largissima*, quâ illis temporibus Venæ sectiones adornari consveverant. Dum *moderatior* missio longè minus periculi creare possit: est tamen minimè negandum, quòd etiam in subjectis, nimiùm *sensibilibus, cautio* nunquam malè collocetur, quin potiùs non solùm securioribus esse liceat, sed etiam tantò meliorem effectum inde expectare. Est itaque TEMPUS optimum, vel in *primis* adhuc conceptûs septimanis; nisi quidem adhuc *ante*, quàm conceptus factus judicetur, ventilationem hujusmodi instituendi suppetat occasio (quod tamen in *ad-*

mo-

modùm plethoricis, maximi certè eſt usûs, adeò, ut vel aliam, ſub geſtatione evacuationem, *præoccupando* compenſare poſſit.) Præcipuè verò quadrat huic ſcopo *medium tempus* geſtationis: Quin etiam denique *ultimum*, proximè, intra unam aut alteram ſeptimanam, expectandi partûs. Locus, commodè ſatis capitur, *Brachium*, & ipſa quidem *Vena Mediana* dicta. Interim in *Pede* Venam gravidæ ſecare, minimè certè juſti ſingularis dubii objectum præbet: inprimis ſi incommoda aliqua præſentia, magis circa ipſum *abdomen*, maximè omnium autem circa *lumbos, coxas*, & *femora*, negotium faceſſant, de *rhevmatico - arthriticorum* affectuum indole. [Ita quidem meritò certè temperare ſibi deberent homines, ne nudis ſpeculationibus indulgendo, ipſis rebus refellerentur. Ita enim v. gr. dum Practicus quidam, indicationibus curationes ſuas ſuperſtruere adſvefactus, fœminæ honeſtæ maritatæ gravidæ, *arthritico - Iſchiadica* multiplicia pathemata perpeſſæ, Venæ-Sectionem *in pede* præſcribit, medio tempore geſtationis; à quâ cùm illa ſenſibiliter levata eſſet, maximè tamen *plethorica*, tandem iterum ſimiles dolores perſentiſceret, adeoque *repetitionem* hujus ejusdem auxilii, conſenſu Medici, ſuſciperet: Differre hunc ſermonibus ſuſcepit alius, ac ſi non ſolùm contra ipſa Artis, (ſed *ſpeculabunda*), principia egiſſet, ſed planè, [quid enim non Medico mori & ori licet?] *intentati* ita malitioſè *abortûs*, alterum clam inſimulare: Fecit certè hic prudentiùs, ut hæc omnia contemneret, ipſo rerum eventu deſideratisſimam efficaciam confirmante; Inſimulatio autem ſtudii, abortum temerè inducendi, cùm nulla in mundo compareret, ſive civilis, ſive ſimpliciter moralis, ejus rei probabilitas, apud paulò ſenſibiliores Divinatori illi, inconſideratisſimæ malitiæ imputationem; apud æquiores autem ad minimum ſtoliditatis aſſignationem, conciliavit.] Minimè tamen negamus, quin, ad minimum propter hujusmodi odia, locum mereatur prudens æſtimatio, quid hîc verior *indicatio* ſvadere posſit? Cæterùm, quæ jam aliàs V.æ S.ni *adſveverunt*, illis ſufficere poteſt, ut *conſveto* aliàs *lo-*

co emisſio inſtituatur. MENSURAM quòd attinet, poteſt illa ſatis comodè inſtrui ad uſitatos noſtro climati mores, nempe ad ℥.4. Uncias. Imò verò, præſtat etiam hîc potiùs, ſi quid exigere videatur, *repetendo*, quantum *ſufficiat*, ventilare, quàm nimiâ emiſſione *ſimultaneâ*, aliquod periculum quaſi provocare. Interim tamen nec illud extra conſiderationem habendum, quòd, ubi *plethora* reverà gravat, & natura ad ventilationes reſpectat, etiam *nimiùm parca* emiſſio longè periculoſiores turbas poſt ſe trahere poſſit, quando ita leviter ſolùm ſublevata Natura, mox ſuâ demum ſponte ad excuſſiones largiores ſeſe accingens, *pericula* illa demum in effectum deducit, quæ à ſufficiente miſſione potiùs præoccupata fuiſſent. Pro Concluſione hujus Commentationis repetimus, quòd in hujusmodi *tempeſtivis* ventilationibus ingens omninò momentum poſitum ſit, pro *plethoricarum* periclitationibus prævertendis; Adeò, ut illis, quæ jam aliàs ſub tempore geſtationis Væ S.ne uſæ ſunt, redeunte ſimili conſtitutione, etiam periculoſius ſit, illas ſimpliciter negligere. Maximè omnium autem, quæ manifeſtò *plethoricæ*, citra alias *patheticas* eminentes cauſas, *abortum* jam *incurrerunt*; his tantò magis *neceſſaria* potiùs, quàm ſimpliciter *utilis*, eſt talis ventilatio, ſive quando iterum imprægnatas ſeſe ſentiunt, ſive etiam antequam hoc fiat: ita, ut omnia alia conſilia & auxilia certiſſimè *incertiora* ſint, quàm hoc unum.

LIII.

Inter illa *pauca* remedia, quæ innuimus, non poſſumus connumerare, ſed potiùs circumſpectioni debitæ commendare, *Balſamum Embryonum.* Sicut enim nemo cordatus ſeriò in ſe ſuſceperit ullam *peculiarem energiam*, quâ *ut Embryonibus* utilis eſſe poſſit: ſed in aſſignationibus *generalium, nervos* & *Spiritûs* roborantium effectuum, ſubſiſtendum erit: Unde etiam eodem jure *Aqua Epileptica Langii, Apoplectica, Cordiales, Carbunculi, Vitæ Mulierum*, & variæ tales *odoriferæ*, æquo jure *Balſami Embryonum* nomine notari poſſent: Ita oportet certè hujusmodi *aromaticarum, ſpirituoſarnm Aquarum*,

rum, *internum usum*, sub ea cautione æstimare, ne in Matribus *plethoricis* per ejusmodi rerum abusum, loco speratorum commodorum, vera *damna* promoveantur. Illud certum est, quòd, ubi vera præstò sunt *pericula*, non plus *Balsamô Embryonum*, quàm ullâ aliâ similium *spirituosarum* aquarum, quâlibet autem harum tam parùm, *salubris* effectus obtineri possit, ut speciosa sua nomina illô fulcire, nequaquam ipsis sit integrum.

LIV.

Eodem loco necessariò reponimus, quamvìs etiam ad hos scopos non solita ut *directè* referri, varia *Carminativa calida*; nec non tracta huc, magis quasi directè, *Elixiria Uterina, aromatica, oleosa, myrrhata*: utpote qualibus longè faciliùs incommoda, à *turgefactione* sangvinis vulgò dictâ, veriùs deducenda foventur potiùs, quàm cohibentur. Nisi fortè in valdè *mucidis, phlegmatico-pituitosis* dictis, subjectis, aliquando locum inveniant, certò tamen etiam *temperatiorum* bonorum usu, satis feliciter compensanda. Sanè verò satis certum est, quòd moderatus etiam usus *Succinatorum*, bonæ, inquam, *Ess. Succini*, cum lenibus *Carminativis*, quibus *Rad. Pimpinellæ alb.* præesse potiùs, quàm accenseri meretur, non contemnendos usûs præstet. Unum autem remedium, quod tum per indirectum aliis communibus horum temporum incommodis, tum magis directè Utero, plus, quàm quicquam aliud, constantissimo experimento, adspirante divina Benedictione, satisfacit, est Compositio *Mass. Pilul. Balsamicarum Dn. D. Præsidis*; Utpote non solùm nimios *affluxûs* atque *restagnationes* circa Uterum, temperans, quod vel in ipsis usque *eruptionibus*, ultra, quàm credi possit, præsentaneo effectu præstat: sed prætereà etiam *Carminativum* edens effectum longè optatissimum: *alvum* lenissimè expediens, quin reliquas etiam *Excretiones* placidè promovens; *Balsamica* etiam, verè placidissimè *nervina*, efficaciâ pollens, imò ita ipsum quoque *sangvinem*, sine omni commotione, *attenuans*, ut nusquam locus sit passivis *stasibus*, si *tempestivo* usu hujus medica-

menti

menti sangvini prospiciatur. In ordinem tamen redacta, magis directis auxiliis, seditiosa ejus *abundantiâ*: quam utique neque hoc, nec ullum aliud remedium, auferre potest, aut ullo modo *corrigendo* veraci & *constante* effectu emendare. Quæ certè fœminæ ad hunc usque diem hujus remedii energiam expertæ sunt, aliis, assistente DEO, opus non habuerunt: quæ verò differentia ipsis inde ad sensum evenerit, in comparatione ad alia, in simili casu sibi aliàs ordinata, ipsæ commemorant.

LV.

Adstringentium usus, in commotionibus jam proximè eruptionem & excussionem minitantibus, si alia desint meliora, habetur quidem vulgò necessarius; sed monstrat etiam passim Experientia, quid inde *certi* & *perpetui* commodi impetretur; & elucidat eventuum talium causas ipsa etiam Ratio, nunquam certè approbatura, ut eruptio ipsa simpliciter *cohibeatur*, non *causis* solùm commotionis, sed vel ipsa *commotione*, non cohibitis, & in ordinem redactis. Non sunt in hoc genere contemnenda, quæ non tam simplici atque directâ, veluti rudi, *stringendi* energia pollent, quàm potiùs *Tonica* singulari efficacia, Cujusmodi reverà haberi meretur Compositio illa *Specierum de Hyacintho*, moderatis etiam dosibus ad cohibendas *elisorias* commotiones non inefficax. Interim, si etiam hoc ipsum remedium simpliciter *commotionibus* objiciatur, causis illarum *materialibus, occasionalibus*, non, quantum sufficit, subactis, nec ab *heteroclitis* eventibus securis esse licet: neque, quod in præsens fortè qualicunque veluti *coactione* obtinetur, *stabile* propterea aut *diuturnum* haberi potest, cui fidere liceat & acquiescere.

LVI.

Animi Pathematum uti nulla est *pharmaceutica* medicatio: ita effectuum tamen eorundem aliqualis occupatio, habet subinde locum: Tantò magis, ubi causæ aliæ *conjunctæ*, & tanquam veri fomites pejorum effectuum, unà conspirant. Sunt autem hujusmodi inprimis *biliosa acrimonia*, sive *crassior*,

in primis adhuc viis exacuata; five *tenuior*, in ipfum jam fangvinem diffufa. Deftinantur talibus vulgò *Abforbentia*; & quadrant omninò priori plus, quàm alia quæcunque *Temperantia*; pofteriori autem, nonnifi valdè fegniter atque langvidè opitulantur. Alteri verò huic fubveniunt multò præfentiùs atque potentiùs, quamvìs placidè utique etiam atque moderatè, *Temperantia*, nominatim *Nitrum*, *peritè* ufurpatum, fpernendo imperitorum inanes opiniones atque dubitationes: *dignorum, ut illa mala experirentur*, quibus *Nitrum*, efficaciâ, ipfis & eorum fimilibus non folùm ignorata, fed etiam per calumniam in dubium vocata, *verè opitulatur*: non autem addam, ut illa *fine Nitri ufu* curare neceffe haberent; fed ut ejus efficaciam veram ita experiri difcerent. *Commotionum* autem ipfarum proterviam, qui *Anodynis opiatis* poteft fecurè levare, illi artificium fuum non invidemus; laudamus autem, ut inter talia, *Maff. Pilul. de Cynogloff.*, parciffimo etiam ufu non otiofam: tantò magis autem *Cinnabaris* dextrum ufum. Sicut etiam in *iracundiæ* incommodis, clausâ inprimis fimul alvô, *Rhabarbari* ufus, tanquam generaliore effectu, non planè de nihilo eft. Sicut autem ante nominatam *Maff. Pilul. Balfamicarum* bona fide ad commotiones à fangvine laudavimus: ita commendabit fe etiam in illis, de quibus hîc fermo eft, tantò magis tamen modò dictorum ufui dextrè fuccenturiata.

LVII.

Illud autem feriò, & ut non temerè ad confcientiæ meæ teftimonium provocare poffim, opto illis gravidis Ego Præfes, ut, quando quocunque tandem five temporum, five remediorum defectu, ad *elifionem præmaturam* fœtûs adigantur, tunc illis, tam propter *præfentia* gravia incommoda, quàm *fubfequentia* etiam inpofterum pericula talis medicatio obtingat, qualem ad hujusmodi casûs, modò iterum fecundùm veritatem memorata hæc Compofitio, non folùm fimpliciter exhibere, DEO affiftente, poteft: fed qualem etiam ita præftare folet certiùs & efficaciùs, quàm alia quælibet vulgò laudari folita remedia.

LVIII.

LVIII.

Paucis mentionem injicere placet *Balneorum*; *Insessuum* nempe, qui aliis propiùs circa Partûs tempus, aliis etiam maturiùs, placent. Non damnanda hæc sunt, modò *abundantia sangvinis* non excedat; nec etiam reliquæ ordinariæ *excretiones* plurimùm segnes existant: nec immoderatus adhibeatur, sed *temperatus calor*: nec nimis præter modum illis *immorentur*: nec ab illo calore intemperantem mox *refrigerationem* subeant: nec, in genere, nimiò *sensibilior* sit constitutio in individuo, & inprimis simul ejusmodi concalefactionis plenaria *Insvetudo*.

LIX.

Expectaverit quis à nobis, ut etiam de *Tumoribus Pedum* Gravidarum dicamus; sanè verò dicemus, si non æquè ad *ἄπρακτον* phantasiam, tamen ad justum usum, imò veriùs directorium Practicum. Qui *ultra genua*, aut sanè ad ipsum *abdomen* usque non pertingunt Gravidarum tumores, tantò minoris reliqui periculi sunt, unde eò minùs urgent Curationem, & recedunt tandem iterum etiam spontè, nedum conspirantibus dextris Artis subsidiis. Qui verò ipsum etiam *abdomen* invadunt, deterioris utique conditionis equidem sunt; interim, quando vera atque certa subest *imprægnatio*, (quod ferè ignorari non potest, dum hi tumores communiter demum *posterioribus Mensibus* evenire solent), est certè omnis alioquin efficax methodus illos tractandi, minimè consulta, sed provocandi Abortûs certiùs suspecta. Qui autem hujusmodi *Tumores* jam inde à primis Mensibus se exerunt, ut omninò plurimis modis parvam spem boni exitûs, tam sui ipsius, quàm unà implexæ gestationis, efficiunt: ibi præstat tamen reverà, hos ipsos etiam nonnisi cautiùs tractare, certè postquam etiam sub quantâcunque circumspectione, à tali constitutione, promptissimè heterocliti effectûs cooriuntur, ut in œconomia valdè perplexa. Cùm itaque, sive *evacuatoriis*, sive *catharcticis*, sive *diureticis*, & utrinque quidem non levissimis, remediis, talium rudiorum *tumorum* curationes frustra

tententur; quandoquidem vulgares de talium curâ Scriptorum passim transscriptæ præscriptiones, in necessitatibus rei præsentis, non plus usûs habent, quàm frivolæ fabulæ: est certè propterea etiam in hoc genere nihil consultiùs, quàm *mitigationi* potiùs *Symptomatum* qualemcunque, non autem directè curationi seriam, intentionem & operam adhibere. Sicut enim sub gestatione, talium tumorum Curationem plenam sperare, reverà ἄπρακτον est: ita tamen ad hunc scopum directè, & inprimis *medicamentis* seriò hunc scopum attingentibus, contendere velle, nihil est, nisi directam *Abortûs* aleam jacere. Cæterùm solvuntur etiam non ita rarissimè hi tales, reverà jam magis *Ascitici*, tumores, per *puerperii* purgamenta rectè succedentia, modò non reliqua corporis constitutio, jam ante imprægnationem, sive *phthisica*, sive *hectica* contumacior jam fuerit. Ceterûm his etiam, quibus leviores, crurum solùm, tumores tales eveniunt, utilissimum est, quantum usquam fieri potest, *ambulare* potiùs, quàm vel plurimùm *stare*, vel ita *sedere*, uti plurimæ solent, valdè humilibus scabellis: unde femora, juxta abdomen arctiùs compressa, vasa etiam ibi exeuntia cruralia fortiùs comprimendo, liberum refluxum sangvinis impediunt, & ita humorum stagnationibus extra vasa tantò majorem occasionem præbent.

LX.

Duas res in Commemoratione nostra affectuum Gravidarum præteriimus, quas adhuc exequi expediat; unam magis *seriam*: alteram in opinione potiùs fundatam, nempe intuitu *causarum*, quæ ipsi à vulgô fœminarum assignantur. *Prior* est, *Concretio* p.n. *secundinarum*, extra placentam, *cum utero*; altera, *Circumvolutio funiculi umbilicalis* circa collum infantis. *Prioris* causas quærunt partim in nimia *desidia*; partim in ventris gravidi, turgidi, postremis Mensibus, quotidianâ multa obversione ad ignem, ut inter coquendum foco constanter adstantium: unde vero non absimile est, non quidem æquè nuda *exsiccandi* ratione, sed veriùs *caloris*, ad operandum reverà excitantis, efficaciâ, occasionem subnasci, indecentis structuræ,

cturæ, nempè per fibras inusitatas *connexoriæ*. Hujus quidem Accidentis, cùm nulla verosimilia, nedum evidentia, dentur signa, est inde tantò minor occasio illi directè occurrendi: ut potiùs nonnisi ut in eventum, aliquid hîc tentare aut cavere liceat. Commendant autem vulgò huic scopo frequentiorem abdominis litum, postremo gestationis tempore, per *Spiritum ardentem* etiam vulgarem, *Aniso* aut *Carvo* imbutum: Conducerent autem meliùs teneriores *pingvedines, gallinacea* aut *anserina*, si aliqua rei suspicio justior occurreret. Omnium autem optimum fuerit, ipsas illas caussas, quibus talis eventus verosimiliùs imputari possit, evitare, quàm posteà demum jam inductum effectum iterum corrigere velle.

LXI.

Alterum, de quô dicimus, Accidens, ipsis maximè partûs successibus aliquando negotium objiciens, est *Circumvolutio funiculi umbilicalis* circa corpus, aut planè collum, foetûs. Imputant hanc rem vulgò mulieres gravidarum motibus corporis sursum fortiùs extensoriis, dum v. gr. aliquid ex altiore loco aut repositorio depromere suscipientes, corpus & brachium fortiùs sursum protendunt. Ab hoc Matris motu *circumagitari* fœtum in Utero arbitrantur. Sed profectò nulla usquam verisimilitudine; dum potiùs longè propius est fidei, quòd hujusmodi volutatio longis atque tardis progressibus potiùs, quàm repentino hujusmodi actu, absolvatur. Ceterùm, neque *signum* est hujus rei, neque verosimile remedium *pharmaceuticum*, imò neque *chirurgicum*, nisi in ipso *partu*. Reverà tamen hîc etiam plus fortunæ bonæ successus, quàm nuda & infallibilis dexteritas manualis operationis, valet: ut videlicet ea utique, sub ipso tempore operationis necessariæ, offendatur uteri non planè firma strictura, sed remissio ita sufficiens, ut ad mouendum fœtum liberius spatium suppetat; quamvìs ita etiam adhuc non leves difficultates, tam circa *certitudinem facti* ipsius, quàm circa *latus*, *versus quod* fœtus volutari debeat: re-

pe-

petendam quoque plus semel volutationem: imò integram circumvolutionem adhuc intra secundinas: prudenti pensitationi non possint non rem totam in summum dubium adducere.

LXII.

Tandem demum ex omnibus his rebus sine difficultate resultat, quale esse debeat etiam ipsum *præservativum* & *conservativum* Gravidarum *Regimen*? Circa hoc, ut omnis inutilis prolixitas evitetur, convenit utique nullum aliud, nisi quàm maximè *ordinarium*, sano statui aliàs quoque conveniens, modò hîc tantò magis serium, temperamentum omnium rerum non naturalium: Interim ex illis verè utique peculiarem omninò locum sibi vendicant *Animi Pathemata*. Sicuti autem, porrò, par hujus temperantiæ tenor per totum gestationis tempus securissimè omnium servatur: ita est tamen notatu non indignum, quòd errores in *assumptis* adhuc plus incommodorum objiciant *primis* Mensibus, quàm *postremis*: *Animi* verò *pathemata*, *primis* maximè & *ultimis* Mensibus plus periculi ad *Abortum* minentur; *Imaginatio* verò præcipuam efficaciam exerat *ultimis* Mensibus. Unde tantò plus usûs hîc habebit etiam secundùm has circumstantias, quicquid necessarium est, rectè & decenter ordinâsse.

LXIII.

Antequam autem finem dicendi faciamus, non abs re erit, & credo desiderari jam ab aliquibus, qui hucusque perlegendi patientiam habuerunt, aliquot adhuc verba facere de FEBRIBUS, si Gravidis accidant, quid sentiendum sit, aut statuendum? Hæ, cùm vel *Intermittentes* sint, *chronicæ*, vel *acutæ*; uti priores, veræ & *legitimæ*, nullum magnum periculum patientibus ex se portendunt: ita nec ipsis quoq; gravidis æquè nimiò plus timendæ sunt. Quod maximè propterea considerandum est, quoniam trepidatio circa tales, interdum repentinas *ancipites* curationum *tentationes* patientibus persvadet, è quibus demum *deteriores* consecutiones, alibi

bi à *Vomitoriis* intemperantioribus methodis, alibi ab intempestivè *suppressoriis*, & ordinariarum evacuationum cohibitoriis, introduci possunt. Unde quidem, licèt etiam in quibuslibet patientibus, turbulentioribus tentaminibus præferenda, tantò magis tamen pro Gravidis eligenda utique est, *lenior* potiùs, sed *legitima*, his Febribus medendi ratio, ne præter rem aliquid turbarum concitetur. Sciendum tamen etiam simul, quòd *intermittentes* febres, etiam *Tertianæ*, in *Gravidis* plerumque adhuc *contumaciores* sint, quàm in aliis subjectis. Verisimillima hujus rei causa, quòd etiam sub hujusmodi commotione, licèt langvidiùs *excretoriâ*, respectus ita aliquis veluti formetur ad contentum in hoc casu *in abdomine*, à corporis ipsius oeconomia utique *diversum*, adeoque suo modo *alienum*: quod licèt cum qualicunque *impetu elidere*, intentio non ferat, tàm parum, quàm vel passim directam *febrilem* materiam: tamen tantò pertinaciùs repetantur, imò retineantur, quantumcunque è longinquo eò collineantes velut *intentiones*, id quod etiam simplici *Tertianæ* directæ non inusitatum, sed passim familiare est. Illud certum est, quòd, quàm parùm periculi in ipsis quoque Gravidis habent hæ febres modestiùs tractatæ, eò certiùs tamen, imò etiam proniùs, in heteroclitos successûs, *anomala*, imò ipsa *acuta*, schemata inclinent, si alienioribus, aut *turbulentioribus*, ausibus perturbentur, inprimis autem, *non sublatâ causâ*, simpliciter reprimantur. Ubi præsertim iteratæ reversiones, quas *recidivas* vocant, magis magisque obstinatissimam reddunt febrem: intempestivæ verò vehementes cohibitiones, Gravidas fœminas, inprimis à fortiore corporis motu alienas, longè præsentiùs in valdè sonticos *tumores* conjiciunt. Neque verò inusitati sunt Casûs, ubi, posterioribus Mensibus, *suppressæ* febres post partum denuò revertendo, per puerperii tempus novum negotium facessunt.

LXIV.

Acutæ Febres semper *periculosæ* sunt Gravidis, nisi quidem vel sponte benigniùs se gerant, vel arte etiam ad *mo-*

derationem, quantam unquam fieri poteſt, adducantur; *leniſſimis* utique, & maximè *temperantibus*, methodis; *excretionis* autem, *diapnoicæ* magis, quàm ullius alterius, ſtudioſiſſima conſervatione magis, quàm usquam intemperantiore illius, aut potiùs in ordine ad illam, ſangvinis exagitatione. *Periculum* autem, quod per febres acutas Gravidis ingruit, eſt præcipuè *Abortus*; non tamen hoc unicum, ſed &, per *evacuationes ſangvinis* unà contingentes, heteroclitus ſolitæ *periodi* eventus, adeoque totius ſummæ morbi periculoſior exitus. Quo intuitu opus certè hîc eſt cautione, quæ verò in nulla re certiùs conſiſtit, quàm in moderatiſſimâ, tam regiminis, quàm medicamentorum *proportione*: qualia utraque ſi non ſatisfaciant, calamitoſa eſt ſanè res. Hîc certè uſus eſſet decantatis ejusmodi *fœtum & conceptum roborantibus*, ne in illum vis aliqua ingrueret: ſed apage hinc *Balſamum embryonum* & *Adſtringentia*, niſi promovere potiùs, quàm amoliri conſecutionem *Abortûs*, ab acutis febribus velis. *Ventilationes* autem tempeſtivæ *ſangvinis* per tempus *geſtationis*, tam *præoccupandis*, quàm, ſi utique eveniant, *mitioribus ſervandis*, acutis febribus, non pœnitendum uſum utique habebunt: in ipſis autem jam coortis hujusmodi febribus demum V. Snes aggredi, *ſpeculationi* quidem probabile eſt conſilium; *practicæ* autem obſervationi, & qualicunque certiori *fiduciæ*, non ſolùm impar, ſed reverà potiùs, ſi omnia rectè obſerventur, quæ ſæpiùs fiunt, etiam poſitivè *anceps*: nempe, ne potiùs *excuſſoriæ* commotioni demum reverà ita velut occaſio præbeatur: ſicuti de illa re in genere pluribus egit, & certè illam ſolerter praxin tractantibus commendat Dn. D. Præſes Diſput. *de V. Sne in acutis*.

LXV.

Ultimo loco, ut adhuc verba aliqua adjiciamus de EXPECTATIONE, Gravidis interdum neceſſaria; dum partus ſecundùm ipſarum formatum *calculum* juſtò diutiùs ceſſare videtur, eſt ante omnia certiùs, quòd hoc ſincerè vix unquam fiat: Niſi vel computum ſuum, à *Menſibus*, ab alio

vitio

vitio, semel aut iterum *restantibus*, præmaturè orsæ; vel etiam alioquin Mensium *minùs ordinato* successui obnoxiæ sint. His, quæ ordinatum habent *statum* Mensium fluxum, si *medio* gestationis tempore *motum fœtûs* annotaverint, & ab illo tempore *viginti Septimanas* numeraverint, si harum finis non in tempus incidit, *Mensium* consvetæ evacuationi respondens, certiores esse debent, quòd eò dirigere calculum necesse sit; & quidem, si illud tempus proximè *ante* exitum harum viginti Septimanarum cadat, quòd etiam partum ita *maturiorem* expectare deceat. Sin autem tempus hoc, mensium evacuationi respondens, adhuc *ultra* terminum, à *fœtûs motu* numeratum, se extendat, quòd tunc etiam *partus* potiùs adhuc tantisper *expectandus* veniat. Quæ verò fœminæ *statum* mensium tempus non habent, imò vel solùm à *phasibus Lunæ* potioribus alienum, illæ nihil hîc possunt adeò *exquisitum* expectare; sed eô ipsô neque necesse habent trepidare, si non ita ad amussim, & ut illæ volunt, usitata sua formula: sie habe keine Stunde mehr vor sich/ exactissimè obtingat. Si fœmina partui propinqua de reliquo satis ad tolerantiam *sana* appareat, nihil habet, quod de Partûs tarditate ultra calculum suum metuat: Sicut etiam, quæ satis distinctum *Motum fœtûs* in utero adhuc subinde percipit.

LXVI.

Cui verò, à quocunque accidente, valdè probabilis suspicio insidet, quòd fœtus suus, vim alicunde passus, *vitæ* suæ periculum adiverit; illa sequentia habet, quæ cogitet. Si *languere* inde solùm, seu ægrotare, fœtum contingat, partûs tempus propter *ægrum* fœtum nihilò magis *tardum* expectandum fore, nisi quidem potiùs solito *maturiùs*. Sin autem fœtui *vitam* planè *decessisse* metuat, advertendus est animus ad illas circumstantias, quas Gravida in se ipsâ sensit ab eo tempore, quô ejusmodi mali eventûs suspectam occasionem perpessa est. *Mortuo* fœtu, Gravidam nihil, aut valdè parùm, alterari, vix unquam contingit, nisi fortè in robustissimis, & de insignibus etiam alterationibus parùm quiritari adsvetis. *Diutiùs* languentem fœtum si tandem emori contingat, matris etiam *langvores* sensibiles, *animi* irrationalem *angustiam*, quin alia, inprimis tamen *horridula*, etiam universi corporis incommoda, usitatissimum est succedere: imò increbescere hæc magis magisque, cum *malo*

fœminæ *colore*, quin vehementioribus tandem passim pathematibus: deficiente verò posthàc in solidum fœtûs *motu*. Quando verò *repentino* quôdam impetu, vegetus eò usque, fœtus vitam amittit, nunquam hoc fit sine valdè *sensibilibus* Matris alterationibus : inprimis *horrore*, febrilem insultum æmulante ; deinde etiam succedente *calore* febrili, sed non æquè verum typum formante, sed *anomalo* magis, & lentæ similiore, nisi quidem maturè fœtûs mortui *exclusio* sequatur. Reverà verò neque etiam ipsius fœtûs mortem æquè facilè sequitur *insignis* Partûs *retardatio*, nisi quidem ille *langvidissimè* interierit, fœmina, de reliquo quidem non æquè *morbidæ* constitutionis, indolis tamen sit segnioris aut timidioris. Aliàs enim non *apparatus* solùm ad excludendum, sed actus potiùs ipse exclusionis, certò non tam admodum tergiversatur. Secundùm has itaque circumstantias potest Gravida suam conditionem, respectu suspecti statûs vitæ fœtûs sui, judicare.

LXVII.

Excusavimus nos jam suprà, quòd de *MOLA*, tanquam ex instituto tractare, non teneri nos sentiamus. Interim, cùm aliquid æquivoci interdum objiciant *Molæ*, circà tempus partûs expectati, placet adhuc brevibus indicare, quæ nostro negotio propiùs conveniunt. *Mola*, cum fœtu *simul* gestata, difficiliorem quidem reddere potest partum, imò etiam aliquando tempus ejus intempestivæ *anticipationi* exponere : Ultrà solitum autem terminum *extendere* minùs familiariter solet. *Sola* verò Mola, inprimis quæ utero *directè* quàm minimum negotii facessit, (neque *fluxibus* inordinatis, nec *inflatione* ipsius etiam uteri eximia,) tolerari sæpiùs observatur ad tempus, legitimam gestationem plurimùm excedens. Unde quidem tantò magis animum advertere Fœminas addecet, ad solerter discernendum sensum *Motûs*, utpote qui in hoc genere verum est unicum κριτήριον *Molarum* à genuino *conceptu* distinguendarum. Interim certum hoc est experientiæ testimonio, quòd, licèt utique vero fœtui, inprimis jam *robustiori*, pares *motûs vividiores*, *Mola* per rerum naturam nunquam imitari possit; familiariter tamen ferè fœminæ tales ita confundantur *obscurioribus* quibusdam sensationibus, ut obtusos fortè infantis motûs illos agnoscere, vix dubitent. Interim, habet hîc reverà optimum usum hæc distinctio, ut usquè ad debitum partui tempus, æqualiter prorsus *obscuræ* manentes hujusmodi perceptiones, longè verisimiliorem reddant *Molæ*, quàm genuini fœtûs, præsentiam.

LXIIX,

Tantò magis autem confirmant hoc circumstantiæ illæ perpetui quasi *irregularis* Fluxûs *uterini*, toto gestationis tempore intercurrentis. *Inflatio*, mox à primis septimanis citò admodùm augescens, cum variis quasi continuis ferocioribus commotionibus *flatulentis* atque *spasticis* : imò etiam aliis insolitis ex utero *emanationibus*, & ferè etiam ipsius fœminæ ita af-

fectæ

fectæ insolita *taciturnitate*, & aliis anxiis *pensitabundis* moribus. Hæc, inquam, quantò magis cum illo nimis incerto & *obscuro* motu in utero concurrunt, eò certior est *Molæ* suspicio. Quando itaque sub hujusmodi circumstantiis, partus *ultra* debitum tempus remoratur; non est propemodum ulla alia justa suspicio, nisi de *Mola* præsente.

LXIX.

Sicut autem legitimi *fœtûs* ita tardantem exclusionem, ut etiam nulla unquam indicia verorum *Partûs dolorum* occurrant, *arte* quantumcunque directâ provocare velle, certè temerarium esset coeptum, nisi dexterrimè, & inprimis *moderatissimè* geratur: ita *Molam* quoque, cùm signa ejus vix unquam ita absolutè *indubia* sint, *ante* legitimum tempus *partûs*, *directo* impetu, tanquam simul & semel exturbare velle, est certè etiam ipsum ausûs admodum ambiguus. Tantò magis, cùm reverà in aliquot *septimanarum*, imò *Mensium*, morâ, nihil usquam effatu digni periculi versetur, quin nempe etiam tunc adhuc satis matura obtingere possit exclusio. Ubi nempè metûs illi, quòd tali *morâ mola* vel nimium incrementum capessere, vel nimiò firmiùs utero accrescere possit, reverà magis in *speculatione*, quàm *experientiæ* suffragio, fundatur: unde neque hîc aliquid temerè turbare convenit; interim *sanguinem ventilare*, antequam *expulsioni* directè opera detur, non inane erit consilium.

LXX.

Ultimo loco mentionem facere placet *Concussionis* corporis gravidarum mediante *Vecturâ*. Talis, si penitùs *insvetis*, nimiùm vehemens, & inprimis *alvô onerata*, sed *obstipatâ*, obtingat, potest occasionem præbere, in valdè sensibili diathesi, variis certè incommodis, ad ipsam usque *elisionem* fœtûs proritandam. *Moderatior* autem, non solùm *postremo* tempore, sed planè *proximis*, quibus partus expectatur, *diebus*, boni potiùs est usûs, inprimis si omnia reliqua satis commodè se habeant, & *alvus* etiam respondeat; quod quidem semper utile est gravidis. Maximè omnium autem conducit talis corporis motus illis, quæ *vecturæ* aliàs etiam liberaliùs *adsvetæ* sunt. Ita enim demum non raro & promptiùs sequi, & satis liberè succedere, partus ipse observatur.

S. D. G!



NOBILISSIMO

DN. CANDIDATO

PRÆSES

S. D.



Vantumvis locus ille, Geneſ. IV. 26., diverſis modis explicetur à philologis, inſiſtentibus interim Judæorum non paucis, neque poſtremis, explicationi, quòd Enos tempore profanatum ſit Nomen DEI: unde etiam ipſe Maimonides libellum ſuum de Idololatria, quamvis non diſertè ſuper hunc textum, tamen ſupèr hanc ejus acceptionem, fundare legitur: & quicquid etiam alii hîc è Grammatica contradicant: certum tamen illud, imò velut evidens eſt, verum fundum totius Idololatriæ nullum alium agnoſci poſſe, niſi invocationem DEI inverſam, per nomina varia poteſtatum Ejus & actionum, ſecundùm objectorum multitudinem, multiplicium: utpote quæ maximè diffuſio, imò evagatio, ſecundùm varios reſpectûs, unam DEI Omnipotentiam, ut rem multiplicem intuendi, tenebricoſam illam abyſſum ſine dubio objecit πολυπραγμοσύνη volaticæ mentis humanæ, ut multiplices effectûs, etiam multis diverſis Agentibus adſignaret. Sicut autem ſibi veluti relicta fatua mens humana, in hos ſcopulos facilè impingendo, gentilium Diis numeroſis originem dediſſe apparet; [quanquam reverà in ipſo fundamento etiam uni Divinitati has eminentes poteſtates adſcripſiſſe ex eo agnoſci poſſunt, quòd etiam numeroſa illa ſua Numina, non aliunde, niſi ab hoc uno Deos judicaverit, quòd ſupremam talem poteſtatem obtineant, quæ ita, ut in ſe conſiderata, propriè ſit una Divinitas] ita ſummo certè ſtudio ſummaque vigilantiâ cavendum erat illis, qui etiam revelato DEI verbo ſaniùs edocti ſunt, ne ipſi quoque in hæc præcipitia agantur, & perverſa applicatione, in ipſa re cum paganis conſentientes, ſolis fortè verborum fucis mentis ſuæ caliginem

colo-

colorent. Sanè verò ingentem in hoc genere confusionis occasionem suppeditat usitatissima illa loquendi formula: DEUM agere per media. Quæ, ut ex parte DEI, sana penitus haberi, & quàm maximè agnosci potest; ita cavendum tamen summo venit opere, ne temerè recepta illa deteriore loquendi formulâ: DEUM indidisse talibus mediis illam energiam: salutarem ita Ejus perennem influxum, ad salutares omninò & optabiles rebus humanis usûs, ita separemus, ut in solis mediis acquiescentes, DEI Ipsius parvam, imò passim potiùs nullam recordationem retineamus, sed dum Illum per scholasticas ætiologias Primam causam declaramus, non tam dignitate, uti decet, quàm ordine atque serie procedendi, æstimatâ, hoc ipso remotissimam judicemus, ut moniti nihil aliud respondeamus, imò veriùs sentiamus, quàm usitatum illud: das versteht sich vorhin. Enimverò certè in Medicina, multis modis hujus offensionis ferace, in potestate habere considerationes suas hâc in parte, convenit; benè, inquam, & sollicitè discernere respectûs illos, 1) quid media verè & constanter agant; à DEO, inquam, ad illos effectûs directè & quasi simpliciter instructa, & in perenni energia conservata sentiantur: 2) quid DEUS aliquando agat utique per media, sed non modò dicto illo directo & ordinario actuandi modo, quem adeoque semper sine circumstantiis quàm maximè ad DEUM reflexis, ipsum medium toties quoties, quasi secum trahat, afferat, imò inferat: 3) quid utroque respectu constanter in animo habere conveniat, circa referendam ita ad DEum illam energiam; nempe etiam in ordinaria, reminiscendo, quòd DEUS illam extra ordinem quidem, sed facilè tamen pro sua potentia inflectere possit contra ingratorum vota: in extraordinaria verò, quòd illam mediis, etiam propter politicos usûs, directè vendicare, minùs certè reverens haberi possit; nedum ut ita utrinque tandem in oblivionem devolvamur, certæ divinæ cooperationis, perpetim exoptandæ. 4) Quàm scandalosum ita habendum sit illud, quod certè pervulgatum est & usitatissimum, cùm vera mediorum utilitas ab ipso DEO ita proficisci agnoscenda veniat, talibus rebus, quæ nihil hujus à DEO habent, ingentes,

& reverà veluti divinas vires, paſſim vendicare, adeoque de DEO reverà falſiſſima nugari, & veram Ejus Bonitatem atque Poteſtatem ita temerè in alios usûs & reſpectûs, contra ſecundùm Præceptum, in vanum prætexere. Dies autem me deſtituat priùs, quàm potiora circa hanc rem offendicula exemplis in Arte noſtra Medica elucidem: Intelligenti tria verba ſufficiunt. Tui verò occaſione, Nobiliſſ. DOMINE CANDIDATE, de hac materia verba aliquot proferre inclinavit animus, poſtquàm Te perſpecta affatim habere hæc talia, ſatis ſciam, imò deteſtari, quicquid in hoc genere, quã DEO debemus Reverentiam offendit: alta verò mente repoſitum gerere, quanta ſit divinæ Potentiæ & Clementiæ & utilitas, & neceſſitas, ad dirigendam mentem, prò inveniendis veris mediis, & excitandam veram energiam, ab Ipſo deſtinatam pro ſalutari effectu. Tu, poſtquam pluribus jam annis, tam in Regio montanâ, quàm Fridericianâ noſtra, Regiis Academiis, induſtriâ atque diligentiâ ad exemplum idoneâ, juxta cum ingenii maturâ dexteritate feliciſſima, Arti Medicæ ſtrenuam operam navaviſti, & non audire ſolùm, ſed intelligere, quæ digna potiùs, quàm quæ dicta ſolùm, eſſent, cordi habuiſti: imò ipſi quoque Praxi ſolertiſſimo ſtudio operatus es: pro reliqua etiam tua DEUM verendi atque colendi maxima curâ, ita certè gnarus es ſupremi illius nexûs, quem Medica Ars habere debet cum Naturæ inditis, & perpetuò adhuc exorandis, Divinæ Clementiæ Beneficiis, ut apud memorem hæc ipſa proloqui potuerim. Perge ita, ut cœpiſti, & decurre, tanquam regia hâc viâ, hoc vitæ atque Artis ſtadium: Ita Tibi & omnia cœpta tua, & hi etiam, quos nunc capeſſis ex merito, Honores & Immunitates decori erunt exoptatiſſimo, uſui publico, ſolatio proximo, imò univerſæ noſtræ Arti veriori ornamento. I felix, age feliciter; capeſſe lucrum fœcundiſſimum & unicum honeſtiſſimum εὐσεβείας μετ᾽ αὐταρκείας, fac diligenter opus, fer patienter onus; ita DEO charus eris, & hominibus, bonis: abunde eſt. Vale!

Dabam ex Muſeo Nonis Septembris, Anno
MDCC VIII.

(o)